ARRIANI NICOMEDENSIS IN HISTORIAM RERVM GESTARVM ALEXANDRI Regis Macedonum, Præfatio.

BARTHOLOMAEO FACIO INTERPRETE.



X OMNIBVS RERVM *Alexandri ſcriptoribus, quæcunque Ptolemæus Lagi, & Ariſtobulus Ariſtobuli de ipſo rege cõſentiẽtes memoriæ prodiderũt, eadẽ ipſe tanquam uerißima literis mandaui: in quibus uero eos diſcrepare animaduerti, ex his quæ probabiliora ac narratu digniora exiſtimabã, delegi. Cæterũ de Alexandro alij alia ſcripſere. Nec uero quiſquam eſt, de quo aut plures, aut inter ſe diſſentientes magis. Verũ hi duo tamen in ipſis rebus narrandis, mihi cæteris probabiliores uiſi ſunt: Ariſtobulus quidem, quod regiæ expeditionis ſocius fuit: Ptolemæus autem, quia præterquàm quod & ipſe regem eo bello ſecutus eſt, regiam dignitatem tenuit. cuius rei gratia longe turpius illi futurum fuerat, ſi à ueritate diſceßiſſet. uterq; uero, quoniam mortuo iam Alexan-*

a dro

dro ea scripserunt: ubi quidem neq; necessitudine, neq; mercede ulla adducti uidetur, ut hæc aliter atq; contigerunt literis mandarent. Quædam præterea et ab alijs scripta, quæ ipse narratu digna iudicaui, tanquam non penitus improbabilia, & quod de Alexandro erant prodita, adieci. Si quis uero fortasse mi retur, cur post tam multos rerum Alexandri scripto res, ego quoq; scribere easdem aggressus sim: is denuo perlectis omnibus, postquam hæc nostra legerit, nullam sibi admirationis causam fuisse intelliget.

PHILIPPVM *ferunt mortẽ obijsse regnãte Athenis Pythodemo, Alexandrũ aũt eius filiũ simulac regnare cœpit, in Peloponnesum profectũ, uiginti ferè annos natũ, habito ibi Peloponnẽsiũ concilio, uti imperator aduersus Persas crearetur (q, prius Philippo patri cõcessum) petijsse. id ab omnibus impetratũ, præterq̃ à Lacedæmonijs. ab quibus respõsum, nõ consuesse Lacedæmonios externis imperatorib. sese subijcere, sed externis ipsos exercitibus præesse, atq; imperare. Athenięses quoq; nouandis rebus ab initio studuere: cæterũ primis eius conatibus territi, ampliora etiã quàm Philippo patri pol liciti fuerant, præstitere. Deinde Macedoniam reuersus, uti in Asiaticũ bellum apparatus moliretur: uere primo statuit, priusq̃ in Asiam traijceret, per Thraces iter faciens, Triuallos atq; Illyrios petere, quos*

Alexãdri prima expeditio

nouis

nouis rebus ſtudere acceperat. nam quòd regno eius finitimi erant, minime negligendos cenſebat, præſertim cum in tam longinquas à domo regiones cũ exercitu profecturus eſſet. Ex Amphipoli cum copijs *profectus, in* Thraces, *quos* Græci Autonomos *uocãt, nullius imperio, nullius legibus obnoxios (à ſiniſtra* Philippopolis & Orbelus *mons erat) nouo flumine traiecto, decem dierum itinere ad* Aemum *montem peruenit. ibi circa aditus anguſtias negociatorũ ingentem manum collectam, tum &* Thracum *eorum quos ſuprà nominauimus, obuiam habuit. Inſederant montis uerticem, inde ne longius moueret exercitũ, quà patebat tranſitus, obſtituri: curribusq; oppoſitis pro uallo utebãtur, pugnaturi inde, ſi ab hoſtibus urgerentur. Simul ijs in animo erat, adnitente in aduerſum montem hoſte, quà maxime præruptus præcepsq; erat, currus ipſos ingenti impetu in phalangem præcipitare. Conſilium præterea cœperat, quo confertiorem* Macedonum *phalangem currus interuolarent, hoc uiolentiore impetu ruentes, totã diſſipaturos aciẽ.* Alexander *uero id agebat, ut quàm minimo ſuorum periculo deiectis hoſtibus montẽ caperet. Poſtquam ergo animaduertit, periculũ ſubiri omnino oportere (neq; enim aliud oſtẽdebatur iter) milites monet, ubi currus præcipitari in ſe ab hoſte uiderint, quibus ea poteſtas ſit, confeſtim ordines laxent:*

Thraces Autonomi.

xent: sic curruum discrimen declinari posse. quibus uero propter angustias ea facultas non sit, scutis superiniectis corpora humi sternant. Nec uero alius,

Thraces uincuntur.

atq; ipse Alexander ratus est, rei euentus ~~fuit. nam cū~~ alij ordines laxassent, alij scutis corpora operuissent innoxij currus iugis decurrere. Tū Macedones curruum terrore ac periculo uitato, alacriores facti, ingenti clamore in Thraces feruntur. ad hæc Alexander sagittarios à dextro cornu, qui quà facilior ascensus uidebatur, ante primam aciem prouolent, Thracesq; occurentes petant, repente immittit. ipse in læuum cornu scutatos, & Agrianos lectissimos phalangis ducit. Sagittarij in hostes pede presso, per ardua obnixi, procul obuios repellunt. tum superinducta Macedonum phalanx, Barbaros propè inermes loco mouit. Mox ubi Alexander à sinistro cornu inuectus est, abiectis armis protinus in fugam uertuntur. Mille & quingenti in pugna cœsi, pauci uiui in potestatem Alexandri uenere. Fugientibus pedum pernicitas, & locorum notitia saluti fuit. Fœminarum turba omnis, cū pueris ac sarcinis, capta: præda omnis in maritimas urbes, Lysaniæ ac Philotæ negocio dato, missa. ipse protinus superato iugo, per Aemum

In Triballos expeditio.

montem in Triballos, ad flumen Lygium (quod tridui itinere per Aemum iter facientibus ab Istro abest) profectus. Syrmus Triballorum rex erat. is cognita

Lygius flu. Λύγινος.

gnita Alexandri profectione, uxores ac pueros, & cæteram imbellem multitudinem popularium suorum, ad Danubium in insulam Peucam confestim misit: quò & Thraces Triballis finitimi iam antè se recepe rant. Nec multo pòst & ipse Syrmus eòdem fugit. at iam Triballorum multitudo omnis ad alteram insulam se contulerat, eo in loco, ex quo pridie Alexander mouerat, sitam. Quo audito Alexander, confestim Triballos repetit: nec mora pugnandi ab hoste facta, in syluam flumini proximam in aciem exitum. quod ubi Alexander animaduertit, phalangem densius instruit: dein sagittarios ac funditores præmittit, qui hostes ex syluis in aperta prouocent. Triballi postquam intra teli iactum uentum est, cum eminus sagittis peterentur, continuo sagittarios inuadunt: uti sagittarum facultate adempta (nihil enim præter arcus ferebant) cominus rem gerant. Quos ubi Alexander extra syluam illectos uidit, Philotam cum equitatu (quem ex Macedonia aduexerat) in dextrum hostium cornu, quà maxime excurrendo processerant: Heraclidem & Sopolum cum equitatu Botriano, & Amphipolitano, à sinistro cornu inuehi iubet: ipse immisso equitatu, per medios hostium acies phalangem agit. Quandiu iaculando eminus pugnatum est, Triballi haud inferiores erant. at postquam & conferta Macedonum phalanx in eos acrius impetum fe

Peuca insula.

cit, et equites non iaculis modò, sed ipsis propè equis inuecti hostes undiq; urgere cœperunt: in fugam coniecti, trepidi per syluam flumen repetunt. ad tria milia cæsa, pauci syluæ noctisq; beneficio uiui capti: ex Macedonibus, Ptolemæus autor est, equites non plus undecim, pedites circiter quadraginta cecidisse. Secundū hanc pugnam triduo Alexander ad Danubiū fluuium profectus est, omnium quidem longe maximum, eorum qui in Europa sunt. longissimo tractu per terras excurrit, gentes bellicosas præterlabitur, & eas magna ex parte Germanas: ex quibus ipsius amnis fontes oriuntur. Earum gentium postremi sunt Quades, ac Marcomanni: deinde † Iazyges, Sarmatarū gens: post hos Getæ. deinde Sarmatarū magna pars. postremo Scythæ, iiq; ad exitū fluminis pertinent: unde per quinq; hostia in Euxinum pontum effluit. Hic Alexander naues longas, qui è Byzantio per Euxinum pontū aduenerat, aduerso flumine subuectas reperit: in quis sagittariorum manu & armato milite imposito, ad insulam, in quā Triballi ac Thraces confugerāt, contendit. conanti pedē inferre, summa ui Barbari obsistunt: quócunq; naues appellebantur, præsto aderant, locumq; tuebantur. quod erat iis facilius, quoniam & naues paucæ erāt, & insulæ maxima pars prærupta ac præceps: & fluminis cursus, utpote in angusto conclusus, concitatior.

Danubius.

Quades.

† De his Ouidius in Ibim, Pugnabūt iaculis dū Thraces, Iazyges arcu. quamuis aliter Domitius interpretetur.

tatior. Quapropter Alexander abductis inde nauibus, flumen traijcit: Getasq́;, qui trans flumen incolebant, petit: quos in aduersa ripa, prohibendi animo, si transire conaretur, armatos uidebat. erant ad quatuor milia equitum, peditum suprà decem milia. Simul illum auiditas cœperat (ut est ingenium hominum) etiam quæ essent trans Danubium *inuisere. Conscensis igitur nauibus, tentoria militum (erant enim ex pellibus) leui materia replet: ad hæc, quotquot haberi poterāt lintres (hæ sunt nauiculæ ex cauata trabe, ea in regione inuentæ. magna autem harum erat copia, tum ad piscatorum, tum ad uicinorū, tum etiam ad latrociniorum usum) aduehi imperat. quibus conuectis, equites mille quingentos, pedites circiter quatuor milia, noctu flumen traducit: quà maxime segetes in hostili agro animaduertit. eb eáq́; rem ripæ appropinquans, minus ab hoste conspectus est. Prima luce pedites per segetem ire inclinatis hastis imperat, ne ab hoste uideantur, donec ad inculta peruentum sit: equitatus interim dum phalanx pergit per aperta, sequebatur. Vbi extra culta peruentum, Alexander protinus in dextrum cornu aduolans, Nicanorem iubet quadrato agmine phalangem inducere. qua specie territi Getæ, ne primum quidem impetum hostium tulere. Res prorsus ingentis audaciæ ijs uisa, Alexandrum tam facile una mo-* Lintres. μονόξυλα.

Danubii magnitudo. *do nocte Danubium, omnium Europæ fluminũ amplißimum atq; altißimum, nullo ponte iniecto transisse. Terrorẽ augebat phalangis series, ac ferox equitum impetus. ac primo quidem effuso cursu urbem repetunt, quatuor abinde milia passuum flumini proximam. Cæterũ ubi conspicati sunt Alexandrũ equitatu immisso eò concedere, peditatum secus flumen agentẽ, ne ab hostibus circumueniri ex insidijs posset: quoniam urbs ipsa mœnibus parum firma uidebatur, impositis in equos pueris ac fœminis, quos inde auferre potuerunt, in solitudines se recipiunt.* Alexander urbẽ uacuam nactus capit, ac solo æquat: *prædam Meleagro ac Philippo agendam tradit. deinde in amnis ripa Ioui Seruatori atq; Herculi, & ipsi amni (quia se haud difficilem in transitu exhibuisset) sacrum facit, eodemq; die suos incolumes in castra reducit. Huc loci uenere ad Alexandrum legati, & à cæteris Danubij accolis, & à Syrmo Triballorum rege: item à Germanis, qui Ionium sinum incolunt (sunt quidem Germani ut grandi corpore, ita animo elato magnoq;) legationes aderant, ut amicitiam cũ eo iungerent. quibus in fidem et amicitiã receptis, è Germanis quæsiuit: Quid nam esset in humanis rebus, quod præ cæteris extimescerent. ratus nominis sui magnitudinem ad illos, multoq; etiã interius penetrasse: idq; esse, quod præ omnibus sibi formidolosum*

Germani.

losum faterentur. Illi uero, quòd procul ab Alexandro agebant, quòd loca accessu difficillima incolebāt, ipsumq; ad alia bella intentum uidebant, timere se illud ante omnia dixerunt, neu forte in sese aliquando cœlum rueret. Nihil mouit Alexandrum superbum legatorum responsum. itaq; nihilominus tamen in amicitiam & societatem receptos, domū remisit: tantum elocutus, Germanos arrogantes esse. Inde in Agrianos & Pæonas iter persequenti nunciatum est, Clitum Bardylei ab eo defecisse, Glauciamq; Taulantiorum regem suas eidem uires coniunxisse. Erant et qui nunciarēt, fore uti Autariatæ ipsum in itinere inuaderent. quapropter inde celeriter mouendum censuit. Erat tum forte apud Alexandrum Lagarus Agrianorum rex, ei admodum familiaris: qui Philippo adhuc uiuente legatos priuatim interdum ad eū mittebat. is ubi agnouit Alexandrum de Autariatis accepisse: non oportere, inquit, de Autariatis qui nam aut quales essent cogitare. minus enim bello quàm ceteras eius regionis gentes ualere. se, si permittat, priuatis eos opibus armisq; petiturum: ita domesticis de rebus solicitos, ad sua defendenda domi mansuros. Cuius consilium cum Alexander probasset, in Autariatas profectus, eorū agros populationibus, omniq; belli clade uastat. quo metu perculsi Autariatæ, intra fines suos sese continuere. Lagaro gratiæ ab Alexan

Germanorū responsum animosum.

Autariatæ.

dro dactæ, magnaq; insuper munera data: Cyna sorore, ubi Pellam reuertisset, illi ultro in uxorem depromissa. ceterum nuptias mors Lagari præuenit. Post hæc Alexander haud procul ab Erigone flumine iter faciens, Pelion contendit: quam urbem Clitus, quod esset totius regionis munitissima, occupauerat. Vbi eò uentum, castris ad Eordiacum amnem positis, postridie mœnia oppugnare instituit. Clitus montes circumiectos syluis impeditos, et maxime opportunos insederat (necdum enim Glaucias Taulantiorũ rex aduenerat) uti inde in Macedonas decurreret, cum urbem oppugnarent. Appropinquante Alexandro, hostes tribus primum pueris, ac totidem puellis, tribusq; nigris arietibus immolatis, in Macedonas magna ui erumpunt. Sed qui montes occupauerant, statim initio pugnæ præ metu discessere: quibus infessis nefandi sacrificij hostiæ ibidem repertæ. Repulsis itaq; eo die intra mœnia hostibus, castrisq; positis, circumsidere oppidum parabat. Sed cum Glaucias postridie oppidanis auxilio uenisset, nec speraret Alexander cum ijs modo copijs quas traduxerat, oppido se potiri posse, præsertim cum in eo ualidũ præsidium inesse, multosq; præterea fortes uiros Glauciam adduxisse sciret: mutato consilio, Philotam cum ualido equitum præsidio in hostiles agros frumentatum mittit. Quare cognita Glaucias aduersus Philotam

Eordiacus fluuius.

Sacrum immane.

lotâ profectus, montes circumiectos capit, quâ maxime Philotam rediturum crederet. Quod ubi Alexandro nunciatum est, confestim scutatis ac sagittarijs & Agrianis equitibus circiter quadringentis auxilio aduolat: reliquo exercitu in castris relicto, ne oppidani à tergo insequentes, cum Glaucia iungerentur. Glaucias ut sensit Alexandrum aduentare, quos tenebat montes repente destituit, atq; ita Philotas cũ suis incolumis ad Alexandrum se recepit. Existimare uidebantur Clitus & Glaucias, sese iniquo loco deprehendisse. nam & montes altos insederant, & iaculatorum funditorumq; ac militum nõ exiguum numerum habebant. itaq; si discederet ab obsidione Alexander cum omnibus copijs, suspicabatur fore, uti oppidani abeuntium agmen à tergo adorirentur. Ad hæc, loca per quæ Alexandro eundum erat, angusta, et tenaci limo impedita erãt: hinc flumine, inde monte, uiam adeò coartantibus, ut quatuor ad summum scutatis militibus una iter esset. Alexander instructa acie, phalangeq; usq; ad CXX in arctũ, ut ratio loci postulabat, coacta, in utroq; cornu ducentos equites locat: silentiumq; imperat, uti mãdata (ubi opus sit) celeriter excipiant. ad hæc hastas primum arrectas ferri, deinde cuspides in aduersum dirigi, & nũc dextrorsum, nũc sinistrorsum, prout ratio exigeret, tendere. interim perfequens, phalangẽ interdum in cornua

Virtuti, nõ loco fidendum.

Alexandri acies.

nua agebat. atque ita uariato ordine, phalange demum in cuneum redacta, hostes inuadit, tacita admiratione defixos: cum ea non minus speciose ac decore, quàm strenue agi intuerentur. Postquam ad eos propius uentum, protinus desertis collibus, ne primum quidē Macedonum impetum sustinuerunt. Tum Alexander undique clamores tolli, iaculisque scuta quati imperat. quo clamore hostes uehementius territi, effuso cursu in urbem se recipiunt. Cumque Alexander animaduerteret, à paucis quibusdā hostiū collem unum adhuc teneri, quà illi transeundum esset: iis qui aderant præcipit, uti assumptis continuo scutis, ex ipso flumine inscensis equis collem petant: ac si hostes resistant, pars relictis equis, peditibus immixti rem gerant. Quod cū illi strenue fecissent, hostes confestim non expectata ui, collem deserunt. Eum collem cum amicorum cohorte Alexander capit: dein mittit, qui Agrianos ac sagittarios (qui erant ad duo milia) accersat. scutatos uero traijcere flumen imperat. postque hos, Macedonum ordines: mandatis adiectis, ubi transissent, iunctis scutis (quo phalanx densior uideretur) protinus acies instruerent. ipse ueluti in specula quadam positus, eo ex colle hostium motus prospectabat. Hostes partem copiarum transisse flumen conspicati, aduersus eos, qui cis amnem remanserant, contendunt. in quos conuersus Alexander, eorū uim

Alexander hostes clamore terret.

facile

facile repreßit. Tum phalanx, tanquam superato iã flumine, lætos clamores edit. Coniectis in fugam hostibus, qui à tergo erant: Alexander cum Agrianis ac sagittarijs ad flumen pergit, ipseq; omnium primus uado transmittit. mox conspicatus hostes postremo agmini rursum imminere, machinas in aduersa ripa disponi iubet: quiq; iam transierant sagittarios, continuo in amnem referre pedem, ac sagittis hostem incessere. quorum impetu suppresso, reliqui tutò traiecere. Triduo post Alexander cum audisset, Clitum et Glauciam trans flumen iniquo loco castrametatos, neq; uallum neq; fossam iecisse, custodias in castris negligi: utpote ab ijs, qui Alexandrum metu flumen transisse opinabantur: productam uero in longum, quod minime conducturum ipsis erat, aciem: rursus silentio noctis cum scutatis Agrianis ac sagitarijs, item Perdiccæ ac † Cycni copijs flumen traijcit. Vbi opportunitas sese offerre uisa est, non expectatis qui nondum amnem transierant, sagittarios atq; Agrianos repente in hostes immittit. qui magno impetu et clamore adorti, quà illos infirmiores esse animaduerterũt, alios somno oppressos, alios inermes, alios in fuga interfecerunt: pleriq; etiam uiui capti. nec prius desitum insequi fugientem hostem, quàm ab ijs in montes Taulantiorum abiectis armis peruentum. Clitus ex ipsa fuga in urbem propinquam primum

† Cinnæ.

se

se recepit: deinde incensa, quòd parum munita uidetur, post Glauciam in Taulantios abijt. Dum

Thebani ab Alexandro deficiunt.

hæc geruntur, Thebanorum fugitiui quidam, Thebas noctu clam ingressi, ac per amicos ad res nouandas sollicitati, Amyntam ac Timolaum Thebanæ

Cadmea arx.

arcis (quam Cadmeam uocant) præfectos, nihil quicquam hostile suspicatos, extra arcem comprehensos crudeliter obtruncāt. deinde continuo aduocata concione, Thebanos sub specie recuperandæ libertatis ab Alexandri imperio distrahere conati, ut se iā tandem graui Macedonū dominatu in libertatem uindicent hortantur. Id fuit apud multitudinem persuasu facilius, quòd Alexandrū apud Illyrios uita functum affirmabant. nam & multorum fama istucipsum iā, sermonibusq; percrebuerat. rem quoq; non absonam uero faciebat, quod iamdiu Alexander aberat, ac nullus ab eo interim nuncius Thebas uenerat. Quapropter uti in eiusmodi rebus euenire plerunque consueuit, ignari rerum, in eam maxime partem inclinauerunt, quæ sibi maxime cordi erat. Quæ post-

Athenienses Alexandro suspecti.

quam Alexandro renunciata sunt, suorū cæde ac ciuitatis defectione (ut par erat) motus, uindicāda censuit: præsertim cū & Atheniensiū fidem suspectā haberēt, & Lacedæmonios, aliosq; Peloponenses quosdā iamdiu à se auersos sciret. Ad hæc Aetoli cū essent

Aetoli infidi.

ingenio mobili atq; infido, ne Thebanis societate se iungerent,

iungerent, uerebatur. Heordæam itaq; & Elymiotin, rupesq; Stymphææ ac Paryææ prætergressus, septima postquam mouit die Pellam Thessaliæ urbem peruenit. inde continuato itinere, sextis castris Bœotiam ingressus est. Nec prius Thebani cognouere Alexandrum Bœotiæ claustra penetrasse, quàm Onchestum cum exercitu profectus est. At tunc quoq; defectionis autores, quoniam famam supprimere nõ poterant, uenisse ab Antipatro copias ex Macedonia mentiebantur: ipsum uero Alexandrum obiisse confirmabant. his autem, qui Alexandrum aduentare an nunciabant, indignabantur. Cumq; de Alexandri ad uentu certiora indies perferrentur, Alexandrum alium, Aëropi nempe filium esse aiebant. Postridie Alexander motis ab Onchesto castris, Thebas profectus, ad Iolai lucum castra posuit: quò Thebanis pœnitentiæ, & corrigendi erroris spacium, mittendorumq; legatorum potestas foret. tantum uero abfuit, ut Thebani errati ueniam deprecati sint, ut repente ex oppido profecti cum equitatu ac leuiter armatis, Alexandri castra aggressi sint, emissisq; iaculis aliquot Macedones interfecerint. Tũ Alexander confestim ex leuiter armatis ac sagittarijs, qui excursionẽ reprimerẽt, in eos mittit, iijq; non difficulter tametsi ipsa iã castra inuasissent, intra mœnia repulsi sunt. Postero die cum omnibus copijs mœnia obequitans, iuxta

Pella.

Iolai lucus.

iuxta portas, quæ Eleutheras atq; Atticam ferunt, haud procul Cadmea, uti suis qui arcem tenebant op portune adesset, locum castris capit. Eam arcem oppidani iacto duplici uallo circumsidebant: ne aut extrinsecus obsessi auxilia admitterent, aut ab ijsdem ipsi quicquam detrimenti caperent, cum copiæ in hostem educendæ essent. Alexander, cũ magis rem componi, quàm in discrimen Thebanos adduci cuperet, oppugnandæ urbis consilium trahebat. Oppidanorum pars, quibus curæ reipub. salus, quibusq; melior mens erat, in castra eundum, ueniamq; errati postulandam à Rege censebant: contrà exules, quiq; defectionis autores fuere, præsertim quidam ambitione capti, omni studio multitudinem à quietis consilijs abstrahebant. Nec tam ob tantam pertinaciam, Thebanam Alexander urbem oppugnabat, quàm spe illorum animos tempore emolliri, & ad pœnitentiam agi posse. Cæterum Perdiccas mutari consilium coë-
Perdiccas. *git. is erat castrensis præsidij præfectus: qui (Ptolemæo autore) cũ ab hostili uallo non multum abesset, iniussu regis uallum aggressus est, ac parte euulsa Thebanorum præsidium inuasit. Secutus illius audaciam, cum cohorte sibi tradita Amyntas Androme*
Amyntas. *ni: qui & ipse præsidio præerat. Alexander pugnandi necessitatem sibi propositam intuitus, ne sui ab hostibus circumuenirentur, mutato consilio, reliquas ca*

pias ex castris eódem inducit: sagittarijsq; et Agrianis intra uallum inferre pedem iussis, argyraspides ac cæteras copias extra uallum continet. Perdiccas dum interius uallum rescindere conatur, graui uulnere accepto, refertur in castra: cuius uulneris curatio difficilis fuit. qui cum eo uallum intrauerant, sagittariorum interuentu acriores facti in uiam quæ fertur ad Herculis templum, insequūtur. Hic Thebani receptis paulisper à fuga animis, cōtemptaq; pauicitate, clamores tollunt, & pauorem ac trepidationem in hostes reijciunt. Sagittarij circiter septuaginta cæsi: in quis Eurybotas Cretēsis, eorū dux. reliqui non prius fugiendi finem fecere, quàm ad scutatos ac Macedonas extra uallum uentum. Alexander conspicatus Thebanos præ studio insequendi hostis temere ferri, continuo phalangem inducit, atq; haud magno negocio in oppidum præcipites agit: eamq; formidinem fugientibus inijcit, ut ijs claudendæ portæ potestas non esset. uictores uictis immixti (nam ab ea parte ob extrinseca præsidia murus defensione nudatus fuerat) in urbem sese coniecerunt. Vbi ad Cadmeam uentum, præsidiarij milites subita eruptione facta, cum Macedonibus iunguntur: ac multa cæde edita, ad Amphionis templū perueniunt. alij eosdem Thebanos fugientes, in forum pellunt. oppidanorum pauci ad Amphionis templum restiterunt. Sed mox &

Herculis fanum.

Eurybotas dux cæsus.

Amphionis templum.

ipsi desperatis rebus, terga dedere. eques apertos extra urbē campos, effuso cursu petit: pedes, ut quisq; potuit, saluti consuluit. Nec minus à Phocensibus, ac Plataeensibus reliquisq; Boeotijs, quibus infensi erāt, saeuitum in Thebanos, nec priuata tecta, nec sacrae aedes, nec deorum arae, quo minus in muliere etiam ac pueros grassarentur cuiquam saluti fuere. Haec cum essent à finitimis ad longinquiores perlata, non ijs modo qui Thebanae defectionis participes fuerant, quòd tam pollens potensq; oppidum concidisset: sed uniuersae Graeciae ingentem metum & consternationem intulit. namq; Atheniensium clades apud Siciliam accepta, & si multitudine interfectorum ciuiū non minus calamitatis Athenis attulit: tamen quoniā procul à domo accepta est, & caesorum magna pars erat ex socijs, tolerabilior uisa est. nec uero quòd postea eadem ciuitas in eam necessitatem inciderit, ut sibi cum Lacedaemonijs ac socijs, tum etiam cū Philippo rege diu bellandum fuerit: tantum aut ipsis Atheniensibus mali, aut reliquae Graeciae consternationis praebuit. Et illud quoq; Atheniensium uulnus nauali praelio † apud amnem Aegim acceptū, ob id modo calamitosum fuit, quòd murus urbis dirutus, naues hostibus traditae, imperium tantummodo imminutum est: at respub. maiorum disciplina, et antiqua libertas retenta est. nec ita multopòst, & pristinae opes

Thebarum direptio.

Atheniēsium in Sicilia clades.

Aegis flu. ἐμ αἰγὸς ποταμοῖς.

opes ab ijs receptæ, & recuperato maris imperio instaurata mœnia: ad hæc Lacedæmonij, *qui per id tempus ipsis maxime formidabilis erant, quiq; ut* Athenas *euerterent parum abfuerant, summis periculis ab ijsdem leuati.* At Lacedæmoniorum *ad* Leuctra *ac* Mantineam *clades, magis quia præter opinionem accidit, quàm quòd multi desiderati sint, terrori fuit. Sed &* Bœotiorum *&* Arcadum Epaminonda *duce secunda cum ijsdem* Lacedæmonijs *pugna, nouitate magis insolitæ rei, quàm periculi specie aut magnitudine,* Lacedæmonios *sociosq; perculit.* Platæensium *autem cladem, tum urbis paruitas, tum ciuiū interfectorū paucitas (nam maior pars* Athenas *confugerat) leuiorem facit.* † Meli *quoq;, et* Scione *insularia oppida deuicta, plus sanè dedecoris uictoribus, quàm* Græciæ *detrimenti intulere. Cæterū præceps* Thebanorum *consilium, ac eorundem celerem expugnationem, multamq; cædem, utpote ab ijs editam, qui ueteres inimicitias persequebantur: tum eiusdem urbis excidium ac seruitutem, quæ opibus & belli gloria inter* Græciæ *ciuitates eminebat, haud ab re ad deorum iram referebant: tanquam de* Thebanis *(quanquam multo pòst tempore) pœnas exigentiū, quòd reliquam* Græciam Medorum *bello prodidissent, quòd* Platæas *p inducias occupatas solo æquassent, quòd* Lacedæmoniorū *dedititios cru-*

Lacedæmoniorum clades.

Platæensium clades.

ἡ μήλου & σκιώνης ἅλωσις.

Thebarum expugnatio.

deliter ac præter Græcorum morem interfecissent: eamq; urbem deleuissent, ex qua uniuersi Græci in acie stâtes aduersus Medos, à cætera Græcia uim depulissent: quodq; Athenas (quo tempore Lacedæmoniensibus socijs, etiã de euertendis Athenis consultatum) quantum in se fuerat, perdidissent. Multa uero ante urbis occasum diuinitus apud Thebanos ceciderant: quæ tum quidem neglecta (ut fit) postea memoria repetita, futuræ calamitatis prodigia fuisse existimatum. Capta urbe, Alexander Græcis expeditionis socijs de Thebanis decernendi potestatem facit: infensis Cadmeam præsidio firmari, urbem solo æquari placuit. Ad hæc agros, nisi qui sacri essent, inter se diuidi: fœminas ac mares, qui prælio ac cædibus superfuissent, quiq; in potestatẽ uenissent, præter eos qui religionem profiterentur, quiq; Philippo aut Alexandro priuatim aut Macedonibus hospitalitate iuncti essent, uænire: tum Orchomenũ ac Plateas restitui. tum ferro ac flammis cuncta ruere, oppidum uetustate, opibus, gloria celebre passim excindi. unis

Idẽ Plin. lib. 7. cap. 29. *Pindari poëtæ tectis ac stirpi, in honorem Musarum, iussu Alexandri parsum. Græci cognito Thebanorũ excidio, Arcades præsertim, quo Regi gratificarentur, ciues suos qui Thebanis opem tulissent, quiq; socij consiliorum fuissent, neci dedendos censuerunt. Elij suos exules, quòd amici Alexandro essent, in pa-*

triam

triam restituere. Aetolorum singuli populi, seorsum legatos ad Alexandrum misere, ueniam falsi criminis petentes, quos audita Thebanorũ defectione rebus nouis studuisse nunciatũ erat. Athenienses quoq; conterriti, mysteria quæ per eos dies referebantur intermittunt, instrumenta rustica omnemq; supellectilem in urbem ferri iubent, populo in concionem uocato: suadente Demade, legatos decem ad Alexandrum mittendos censent, eos maximè quos Alexandro acceptos scirent. Hi Alexandro gratulari iussi quòd ex Illyrijs & Triballis cum uictore exercitu incolumis rediisset, quodq; Thebanos rebelles ultus esset. Alexander quoad cætera humaniter illis respõdit: epistolam autem ad Athenienses scripsit, qua Demosthenem, Lycurgum, Hyperidem, Polyeuctum, Charetem, Charidemũ, Ephialtem, Diotimum, Mœroclem sibi dari postulabat. in hos culpã rei ad Chæroniam ab Atheniensibus infœliciter gestæ referebat: iisdem quicquid post id tempus siue aduersus se, siue aduersus Philippũ ab ipsis Atheniensibus perpetratum esset, ac demum recentem Thebanorũ defectionẽ crimini dabat. Athenienses ciuibus, quos postulabat, negatis: alios rursus legatos ad eum mittũt, ut ciuibus suis ignosceret, oratum. qua legatione motus, ueniam dedit: siue Athenarum reuerentia, siue propter studium traijciendi in Asiam exercitus: id

Demades.

Athenis ab Alexandro parcitur.

moliens, uti omnem de se suspicionem Græcis deme-
Charidemi exilium. *ret. Vnum ex omnibus Charidemum, cui erat infen-*
sior, exulare iussit. Isq; profugus, in Asiam ad Da-
rium regem profectus est. His rebus gestis, in Ma-
cedoniam reuersus, Ioui Olympico sacrum fecit, iam
antea ab Archelao institutum, ludosq; Olympicos
edidit. Feruntetiam Musis ludos ab eo propositos.
Orphei simulacrū sudat. *Per id tempus nunciatum est, Orphei Thracis simu-*
lachrum ad Pieridem sudare. quapropter uates con-
suli placuit. Cumq; alij aliter prodigium interpre-
tarentur, Aristander Telmissus uates, diuinandi
scientia ante omnes clarus, interrogatus quid'nam
sudor ille portenderet: Bene, inquit, sperandum.
id esse, poëtas ac musicos in canendis eius factis mul
tam operam olim posituros. Simul aduentante ue-
re, cum exercitu ad Hellespontum mouit: Macedo-
niamq; & Græciam Antipatro commendat. Coëge-
rat aūt in Asiaticam expeditionē pauloplus quàm
triginta milia peditū, & in his leuiter armatos ac
Cercinites lacus. *sagittarios: equitū uero plus quinq; milia. agebatq;*
agmen non procul à lacu Cercinite, iuxta Amphi-
polim ac Strymonis amnis ostium. Quo traiecto,
τὸν ἕβρον. *Pangæum montem transit, quà ad Abderam ac Ma-*
roniam maritimas urbes iter est. inde ad † Hebrum
amnem profectus, eoq; facile peruadato, per Pæti-
cam regionem ad Melana flumen pergit. tradu-
ctoq;

stoq; exercitu, uigesimo die postquam è Macedonia mouerat, Seston peruenit. Inde in Eleunta profectus, Protesilao sacrificat, aris sepulchro impositis: quod Protesilaus putabatur Græcorũ omniũ primus, qui Agamemnonẽ Troiano bello secuti essent, in Asiam pedẽintulisse: precatus, ut sibi fœlicior, quàm Protesilao fuisset, descensio in Asiã foret. Post hæc Parmenioni traijciendi equitatus & gregarij militis è Sesto in Abydon negocio dato, nauibus longis centũ sexaginta, & onerarijs aliquot transuecti sunt. Alexandrum ex Eleunte in Achæorũ portum nauigasse, plures autores sunt: nauisq; prætoriæ gubernatorẽ fuisse. ubi in medias Hellesponti angustias peruentũ, Neptunno ac Nereidibus taurum immolasse, auream q; phiala in mare profusa libasse. Ferunt etiam, primum omnium terram in Asiam armatum descendisse: atque his locis, unde mouit, quò ue appulit classem, Ioui descensori, & item Palladi atque Herculi aras statuisse. Ilion profectum, Palladi Troianæ sacrificasse: & in æde eius armis quibus utebatur fixis, arma Palladi sacra ex eodem templo sumpsisse, monumenta ad eam diem Troiani belli: quæ arma argyraspidas in expeditione ante Regem ferre solitos perhibent. Fama etiam tenuit, parentasse Alexandrum Priamo ad aram Iouis Hercij: quo illius manes in Neoptolemi gentem,

Protesilai sacrum.

Alexandri in Asiam transitus.

unde maternum genus ducebat, placaret. Ilion petenti, Menœtius regiæ classis dux auream coronam imposuit. Idem fecit Chares Atheniensis, ex Sigeo profectus: & alij quidam tam Græci, quàm Asiatici. Fertur quoq; Achillis sepulchrum coronasse, & ob id fœlicem dixisse, quòd Homerum rerum suarum præconem nactus esset. Fuit haud dubiè Alexandro non parum fortunator Achilles ob eam rem existimandus. namq; hæc una pars tanto regi ad cumulum fœlicitatis uidetur defuisse. neq; enim eius res gestæ aut carmine, aut soluta oratione pro dignitate literis proditæ sunt. Neq; à musicis decantatur Alexander, quemadmodũ Hiero, Gelon, Theron, & alij pleriq; rebus gestis & gloria haudquaquam ei pares. Ita est factum, ut nobis minus notæ sint Alexandri res magnæ atq; præclaræ, quàm multorum ueterũ infimæ exiguæq;. Nam illorum decem milium cũ Cyro aduersus Artaxerxem expeditio, & Clearchi ac sociorum captiuitas, eorum deniq; decem milium Xenophonte duce in maritimam oram reditus, haud dubiè Xenophontis scriptis longe illustriores sunt facti, quàm aut ipse Alexander, aut res ab eo gestæ. At quamuis neq; alieno ductu militauerit, neq; Persarum regem fugiens uicerit, qui obstabant quo minus in maritimam regionem descenderet: tamẽ alius nemo mortaliũ est, siue Græcus siue barbarus, uel multitudine

Alexandri rerum obscuritas.

titudine rerum gestarum uel magnitudine conferendus. Qua primum causa adductus sum, ut eius res licet à pluribus scriptas scirem, & ipse literis mandarem: haud indignum me arbitratus, qui res ab eo gestas conscriberem. At quis ipse sim, qui ita de me sentiam, nomen profiteri non oportere existimo: neq; enim obscurum est. neq; item patria, neq; genus meũ, uti arbitror: neq; item quos honores in ciuitate mea adeptus sim. Illud dixisse satis fuerit, mihi patriam, familiam, magistratus, literas ac bonas artes esse, & à puero semper fuisse. Quare non indignus fortasse sim, qui inter primos Graecæ linguæ autores enumerer: non secus atq; Alexander inter eos, qui in re militari præstiterunt. Alexander itaq; ex Ilio ad Arisben mouit, quo in loco uniuersus exercitus traiecto Hellesponto castra fecerat: postridie Percotam, dein de Lampsacon. inde digressus, nõ longè à Prosactio flumine consedit: qui ex Idæis montibus oriens, inter Hellespontum & Euxinum pontum in mare excurrit. Exinde Hermotum petit, Colonas urbem transgressus. Præmissis uero ante agmen speculatoribus, Amynta duce, cui cohortem amicorum ex Apollonia profectam (ei Socrates Sathonis filius præerat) & quatuor præterea turmas antecursorũ attribuerat: inde discedens, mittit cum Panagoro uno ex amicis, qui Priamum oppidum, cuius deditionem oppidani

Arriani de se testimonium.

Prosactium flumen.

Persarum duces. pollicebātur, recipiant. Persarū aūt duces erant, Arsames, Reomitra, Petanes, Niphates, & cum his Mithridates Lydiæ atq; Ioniæ præfectus, & item Arsites Phrygiæ præses, eius quæ ad Hellespontum sita πρὸς ζελείᾳ est, qui omnes † ad Zeliam urbem cū equitatu Græcisq; mercenarijs constiterant. Postquam auditū est Alexandrū Hellespontū transisse, consultantibus de summa rerum, Memnon Rhodius in consiliū adhibitus, absente Dario, prælio abstinendum, nec cum Macedonibus dimicandū censebat: quòd hostes superiores peditatu essent, quos Alexandri præsentia fortiores audentioresq; faceret. quicquid uero herbidum esset ad equorum usum, conculcandū equorum ungulis, spem segetum tollendā, ac ne ipsius quidem oppidis parcendum. neq; enim moram facturū in ijs locis Alexandrū, rerū necessariarū inopia laborantē. Ad ea Arsites, se ne unam quidē populariū suorū domū incendi passurum, dixisse fertur. In quam sententiā à Persis itū est, suspicantibus Memnonē honoris continuandi causa cupere bellū extrahi. Interim Alexander ad Granicū amnē proficiscebatur: duplicīq; phalange instructa, equitatu in cornibus locato, sarcinas & impedimenta sequi iubet. Speculatorum Ege-σαρισοφόροις lochus dux erat, cum † sarissatis equitibus, ac præter hoc leuiter armatis propè quingentis. Iamq; non multum à Granico aberat, cum subito quidam ex specu-

ſpeculatoribus aduolantes nunciãt, Perſas aciē inſtru ctā trans flumen caſtra habere. Qua re cognita, confeſtim & ipſe acies tanquam pugnaturus inſtruit. Tum Parmenio ad Regem conuerſus: Optimum, inquit, factu iudico, ad amnis ripam è regione hoſtium quàm proximè caſtra locari. neq; enim hoſtes in tanta caſtrorum propinquitate permanſuros arbitror, præſertim cum peditatu ſuperiores ſimus: ob eamq; cauſam ſperare uidentur poſſe, uti cras prima luce exercitus nullo obuio hoſte traduci poßit. Citius amnem tranſierimus, quàm ab ijs acies inſtrui, aut ordines explicari poßint. Nunc autem ſine ingenti periculo tuorum, quónam modo id fieri poßit, haud ſatis uideo. neq; enim ex aduerſo flumen traijcere facile eſt, propter crebros ac profundos uertices interiectos, ut uides: contraria præſertim ripa, alta atque præcipiti. Quod ſi incompoſiti anguſtiore acie in aduerſam ripam exierimus, quod genus aciei infirmißimum eſt, equitatus hoſtilis impetum uereor ne phalanx non ferat. Atq; hoc primo certamine ſi quid nobis aduerſi contingat, erit is quidem caſus quoad præſentem rerũ ſtatũ grauis, ſed quoad exiſtimationẽ de toto bello longe grauior. Ad hæc Alexãder: Iſta quidẽ, ô Parmenio, uera eſſe haud infi cias eo: cæterũ pudet, ſi traiectio tã facile Helleſpõto, Parmenionis conſilium.

hic

Granicus riuus Alexandro dictus. *hic riuus (ita enim Granicum spernens appellabat) tenere nos debeat, quo minus rectà in alteram ripam euadamus. Hoc & à Macedonum gloria, et à mea in adeundis periculis consuetudine longè alienum scio. Ad hæc Persas sibi confisuros uideo, quasi fortitudine & re bellica Macedonibus pares sint, si nihil hoc rerũ initio fecerimus eo terrore dignum, quem intulimus. Hæc ubi dicta, copias in duas partes diuidit ac Parmenionẽ sinistri cornu ducem constituit: in dextro uero cornu, cui ipse præerat, Philotam Parmenionis cum coborte regia, cumq; sagittarijs, & Agrianis iaculatoribus: Amyntam quoq; Arrabæi cum sarissatis equitibus ac Pæonibus, & coborte Socratis: item argyraspidas, quos Nicanor ducebat: tum Perdiccæ Orontis, ac Cœni Polemocratis, item Crateri Alexandri, & Amyntæ Andromeni, & quibus imperabat Philippus Amyntæ, phalanges locat. In sinistro cornu primum Calam Harpali cum Thessalis* Alexandri acies. μενελάου. *equitibus, tum Philippum † Mænali cum sociorum equitatu, deinde Agathonem cũ Thracibus: post hos Crateri, Meleagri ac Philippi phalanges statuit. hoc cornu Parmenioni regendum dat. Erant in castris hostium Persarum equitum circiter uiginti milia, externorum peditum haud multò minus. Conante uero Alexandro amnem traijcere, hostes equitatu in aduersa ripa dispositio, aciem in longum deducunt, pedites*

dites (nam proxima ripis eminentiora erant) ponè statuunt. Post quam ergo Alexandrum sinistro suorum cornu oppositum uident (erat enim insignis regio habitu: & eorum ferocitas, qui circà erant, notabiliorem faciebat) eam partem maiore equitatu protinus firmant: aciebus (ut diximus) instructis, utrinq; in aduersa fluminis ripa summo silentio aliquandiu quieuere, utrosq; consideratio subeundi discriminis defixos tenebat. Expectabant Persæ, uti Macedonas flumen ingressos in exitu inuaderent. Alexander ubi uidet hostem sese in aduersa ripa continere, celeriter inscenso equo, iussis qui circà erant sequi, antecursores equites in amnem præmittit, & cum his Amyntā Arrabæi cum Pæonibus, & una peditum turma ante hos Ptolemæum Philippi, cui Socratis cohortē commiserat, cui fortè totius equitatus eo die ducatus contigerat. Ipse dextrum cornu agens, signis repentè canere iussis, cum ingenti militum clamore uadum ingreditur, obliquam extendens aciem in eam ripæ partem, qua uiolentior fluminis cursus uidebatur: eo consilio, ne ubi hostes flumen intrassent, angusta acie exeuntes Macedones ab ijs circumuenirentur: simul ut phalange inducta, eorum impetum frangeret. Perse ubi Amyntam & Socratem cum cohortibus ripæ appropinquare conspicati sunt, continuò in eos alij ex ripa, qua erat altior, alij ex amni tela mittere. Ibi

Alexander Granicum trancit.

ingens

ingens equitum certamen fuit:his in ripam euadere,
Pugna inter Alexandrū et Persas.
illis obstare studium erat. Persæ plurimum præacutis sudibus, Macedones hastis pugnabant. uerū multitudine quidem longe inferiores hi, primo statim cōgressu male afficiebantur: simul quod ex inferiore atq; instabili loco, utpote ex flumine aduersus hostes in eminenti ripa stantes dimicabant. Ad hæc Persæ totius equitatus robur ad exitum opposuerunt. Ibi Memnonis filij, ac Memnon ipse pugnabant. Macedonū primi in ripam nitentes, à Persis interfecti: cæteris ad Alexandrū receptus saluti fuit. Qui quà maximè equites ac Persarum duces confertos uidit, subitò impreßionem fecit. Circa Regem acre prælium, ingenti utrorunq; conatu fuit. Interim alij post alios Macedonum ordines amnem transibāt. Et quamuis equestre prælium esset, similius tamen pedestri uidebatur. nam & equis equi, & uiri uiris conserti confertiq; rem gerebāt. Macedones à ripa Persas submouere, Persæ Macedonas exitu arcere conabātur. Iāq; repulsis hostibus Macedones ripam tenebant. nā & robore, & rei militaris peritia Persas anteibant. Alexander autem fortiter pugnando, cum hastam infregisset, ab Arete (qui proximus erat) hastam petit. cumq; & ille suam fregisset, sic quoq; cū hastæ trunco dimicare pergit. Mox accepta à Dibarato Corin-
Alexandri uirtus.
thio, uno ex amicorum cohorte, lancea, in Mithrida-
tem

tem Darij generum, longè ante alios equo inuectum protinus emicat, oráq; traiectum humi sternit. In eo pugnæ ardore Rœsaces in Alexandri caput securi districta, galeæ aliquantum citra uulnus diffregit. in quem conuersus Alexander, thorace discusso pectus transfodit. Iam Spithridates Alexandrū à tergo petens, securim alte sustulerat: cuius ictu præuento Clitus Dropidi, humerum eius securi discidit. Interea quibus res procedebat, è flumine in ripam prodibāt, séq; transgreßis conglobabant. Persæ cū undiq; tam ipsi quam equi iaculis configerentur, nec incumbentem à tergo hostilem equitatū sustinere iam possent, multáq; à peditibus leuis armaturæ qui equitibus immisti pugnabant, uulnera acciperent: primum eò quò Alexander † curabat, referre pedem cœpere. At ubi media equitum acies uehementius impressa, & ipsa ceßit, dißipatis cornibus, omnes in fugam uersi Persarum equites, circiter mille in fuga cæsi, quos fugientes Alexander haud longo spacio insecutus est: ac mox in mercenarios, qui magis stupore quodam attoniti, quia pugnæ euentus præter opinionem ceciderat, quàm certo pugnandi consilio in acie steterant, phalange & equitatu inductis, eos ad internitionem cæcidit: nec quisquam omniū superfuit, nisi qui forte inter cæsorum cadauera iacēs delituit. Captiuorum numerus circiter duum milium fuit.

Clitus Alexandrum seruat.

προκινδύνευ.

Persarum clades.

Ex ducibus Persarum cecidere, Niphates, Petanes, Spithidrates Lydiæ satrapa, Mithrobuzanes Cappadocum præses, Mithridates Darij gener, Arbupales Darij Artaxerxis filius, Pharnaces uxoris Darij frater, Omares mercenarij militis dux. Arsites ex ipsa pugna in Phrygiam se recepit: ibiq; ut fama tenuit, mortem sibi ipse consciuit, quòd tantæ calamitatis causa Persis fuisse uideretur. Ex Macedonibus primo impetu ad XXV perierunt, ijsq; Alexander honoris gratia Aeneas statuas in templo Iouis Lysippi manu posuit: quem Alexander ob artis præstantiã præ cæteris statuarijs dignum iudicauit, à quo ex ære fingeretur. De cætero equitatu suprà LX desiderati sunt, pedites circiter XXX, quos Alexander postri die cũ armis ac cætero ornatu militari sepeliri iussit. parentibus eorum ac liberis agri, munerumq; tum priuatorum tum publicorũ immunitatem concessit. ad hæc saucios curæ habuit, singulos adiens, eorũ uulnera inspiciens: ex ijsdem quærens, quomodo uulnera accepissent, quidq; tum agerent, super his quenq; de se prædicare ac gloriari facile patiens. Sed & duces quoq; Persarum, & Græcos mercenarios, qui Persarum stipendia facientes in pugna decesserant, sepulturæ mandauit. Qui autem mercenariorũ uiui in ipsius potestatem peruenerunt, ad ergastula damnatos in Græciam misit: quoniam aduersus publica

Lysippus statuarius, de quo idem Plutarch.

Græciæ decreta pro Barbaris aduersus Græcos militassent. Athenas uero CCC armaturas Persicas dono Palladi misit, hoc breui titulo inscripto: Alexander Philippi, cæteriq; Græci, Lacedæmonijs exceptis, hæc de Barbaris spolia, Asiam incolẽtibus. Post hæc Cala eius regionis, cui Arsites præfuerat, præside facto: cum edixisset uti eadem tributa soluerent, quæ Dario pendere soliti sunt, Barbaris omnibus qui desertis montibus in deditionem uenerunt, ad suos reuertẽdi potestatẽ fecit. Zelitis quoq; ignouit: quoniã sciebat inuitos pro Barbaris arma suscepisse. Parmeniona uero ad recipiendum Dascylium misit: idq; recepit, præsidio inde metu dilapso. Ipse Sardos uersus mouit. cumq; ab oppido septuaginta fermẽ stadijs abesset, obuios habuit in itinere Mithrenem præsidij arcis præfectũ, Sardorumq; maiores natu: hos oppidi deditionem, Mithrenem & arcem & pecuniam regiam quæ in arce seruabatur pollicentem. Demum ad Hermum flumen, quod à Sardis oppido XX ferè stadijs remotum est, castris positis: Amyntam Andromeni mittit, qui arcem ac pecuniam à Mithrene accipiat. Quibus receptis, Mithrenem postea in honore habuit. Sardis, ac cæteris Lydiæ populis libertatem, & ut legibus uterentur suis, concessit. Erat arx Sardorum eminenti loco sita, undiq; præcisa, triplici præterea muro circundata. hanc ingressus

Alexandri tropæum.

Zelitæ.

Hermus flu.

gressus

gressus, cũ uidisset natura atq; opere munitam, templum ibidem Ioui Olympico ædificare cogitauit. Dũ locum templo faciundo idoneum considerat, repente (ut erat anni tempus) tetra tempestas cum ingenti tonitruum fragore cœlum inuoluit: secutusq; imber, regna Lydorum modò perfudit. Quod ubi animaduertit, dijs id cordi esse arbitratus, templum Ioui confestim extruendum mandauit. arcisq; custodia Pausaniæ, uni ex amicis, commissa: præsidio imposito, exigendis uectigalibus ac tributis Niciam quæstorẽ præposuit. Asandrum autem Philotæ, Lydiæ, & alteri Spithridatis prouinciæ, dato ei equitatu, ac leuis armaturæ milite, qui ad eam prouinciam satis esset, præfecit. Calam & Alexandrum Aëropi, prouinciæ Memnonis: ijsq; Peloponnenses, & magnam sociorum partem, præter Argiuos (qui præsidio arcis Sardorum relicti fuerãt) attribuit. Dum hæc geruntur, Persarum milites mercenarij, qui Ephesijs præsidio erant, cognito huius pugnæ euentu, relicta urbe, duabus longis Ephesiorum nauibus arreptis discessere: & cum ijs Amyntas Antiochi, qui ex Macedonia, cũ adhuc ibi Alexander esset, profugerat, non ob ullam quidem iniuriam acceptam, sed odio eius ac metu. Quarto post pugnam die, cum in Ephesum Alexander uenisset, Ephesios, qui sua ipsius causa extorres facti fuerant, in ciuitatem restituit: administrationẽ

Amyntas Antiochi.

reipub.

reipub. quæ in paucorũ poteſtate erat, in popularem ſtatũ mutauit: tributis Perſis pẽdi ſolitis Dianæ, quæ in ea urbe magnificẽtiſſimo templo ſumma religione colebatur, quotannis pendi iuſſis. Epheſiorum populus ſublato paucorum metu, continuo eos ciues qui Memnona in urbem induxerant, templumq́; Dianæ ſpoliauerant, quiq́; Philippi ſtatuam in eodem templo euerterant, item eos qui Heropythi ſepulchrum (à quo olim ciuitas liberata fuerat) in foro eruerãt, interficere inſtituit. Syrphacem uero, unum ex iis, ac Pelagontem filium, fratrumq́; Syrphacis liberos, qui in templum confugerant, inde extractos lapidibus obruerunt. Cæteros inquiri Alexander uetuit, ueritus ne per licentiam ſontes pariter & inſontes, alios inimicitiarum, alios auaritiæ cauſa interimerent. Nec ullum Alexandri factum apud Epheſios plus ſibi laudis & gloriæ contulit: quòd nobiliſſimæ ciuitatis ſaluti conſuluiſſe uideretur. Interim ex Magneſia & Trallibus ad Alexandrum legati uenerunt, urbium ſuarum deditionem pollicentes. ad quas in fidẽ recipiẽdas Parmenionẽ miſit cũ duobus milibus & quingentis mercenariis, pariq́; Macedonũ numero, equitibus ex amicis circiter ducentis. Alcimalum autem Agathoclei, cũ non minori copiarũ numero in Aeolicas urbes, & Ioniã, eas urbes oppugnatũ quibus adhuc Barbari dominabãtur, mittit:

Diana Epheſiorum.

τὸν ἠρόπυθον.

ὀλιγαρχία. Δημοκρατία. aristocratiam siue paucorum statum ubiq; tolli, popularem uero (quam Δημοκρατίαν Græci appellant) constitui, & ut singuli populi legibus suis uti permitterentur, iisq; tributa quæ Barbari soluere soliti essent remitti mandauit. Ipse Ephesi commoratus, Dianæ solenni pompa rem diuinam fecit, uniuerso exercitu ueluti ad pugnam instructo. Postridie cũ reliquo peditatu, sagittariis ac Agrianis, Thracũ equitatu, & amicorum cohorte regia, tribusq; præterea aliis Miletum uersus progressus, Exoda urbem præsidio uacuam primo aduentu cœpit: ibiq; castrametatus, Miletum urbem magis introrsum sitam circumuallare instituit. namq; Hegesistratus, cui Darius Mileti tutelam demandarat, cum ad se nuncios de deditione misisset, fretus Persarum auxilio, qui non longè aberant, consilium mutauerat. Cæterum Nicanor, qui ex Græcia classem adduxerat, triduo antè eodem uenerat, quàm Persæ Mileto appropinquarent, ad insulam Laden: quæ in conspectu Mileti sita est, centum ac sexaginta nauium appulsa classe. Lade insula. Quod postquam Persicarum nauium ductores cognouere, sub Mycalem montem constiterunt. Namq; eam insulam Alexander non solum nauibus, quas diximus, sed etiam Thracibus, et externis militibus ad quatuor milia eodẽ missis, tuebatur. Barbari propè quadringẽtas naues habebant. Alexandrũ quamuis

numero

numero nauium imparem, hortabatur Parmenio, superiore uictoria confisus, prælij fortunam experiri: fœlici etiam augurio persuasus, aquila à puppi regiæ classis in littore prospecta, existimabat si uincerent, magno id usui, quoad totius belli summã Alexandro fore: si uincerentur, haud magnum inde detrimentũ prouenturum, quoniam Persæ propter nauium multitudinem etiam nõ pugnantes imperium maris obtinerent: in id operam impigre polliceri, omnis periculi quodcunq; futurum esset particeps futurus. Ad ea Alexander placide: Illũ opinione sua falli: nec satis esse, recte augurium interpretari: præter rei militaris rationem esse, si cum tam paucis nauibus aduersus multo plures, cumq; naualibus copijs parum exercitatis aduersus exercitatas Cypriorum ac Phœnicum copias eat. non esse consilij sui, loco instabili atq; incerto de Macedonum uirtute apud Barbaros periculum facere. Nam si hoc primo nauali congressu Macedonas cædant, non parum incommodi quoad famam inde executurum: tum propter alia, tum quia naualis clades in Græciam perlata, Græcos nouis rebus studentes ad res domi innouandas excitatura uideretur. quibus de rebus nauali prælio impræsentiarum abstinendum censere. Augurium uero sese aliter coniectare. aquilam quidem ad se pertinere: sed quod sidens in littore cõspecta esset, uideri diuinitus portendere,

Aquilæ augurium.

tendere, Persas terra non mari uincendos esse. Inter hæc Glaucippus, unus ex Mileti primoribus, legatus ad Alexandrum in castra uenit, à populo ac mercenarijs militibus (quis urbana custodia mandata fuerat) missus. is ostendit placere ciuibus suis, muros portusq; eis ac Persis cõmunes esse: ac proin orare, uti ijs rebus contentus urbem obsidere desisteret. Indignatus Alexander, Glaucippum protinus in urbem reuerti iussit, & oppidanis renunciare, uti sese statim ad pugnam parent. Ipse machinis confestim contra mœnia dispositis, murorum partem breui euertit, multum etiam quassauit. iamq; exercitum admouebat, ut uel quà dirutus, uel quà labahat murus, in urbem irrumperet. Et hæc quidem propinquis et inspectantibus Persis agebantur, qui apud Mycalem cum classe erant. Dum hæc aguntur, Nicanor ex Lade insula Alexandri motus prospiciens, littus præternauigans Mileti portum cum classe petit: angustioq; eius ingressu occupato, proras nauium à mari statuit: atque ita Persicæ classi adeundi portus potestatem, oppidanis uero auxilij spem, quam in classe habebant, omnino sustulit: tum ciues ac mercenarij milites desperata salute, incumbentibus iam undiq; Macedonibus, in mare sese proijcientes, alij scutis innatantes in paruam quandam insulam (nomen

[Margin: Glaucippus.]

[Margin: Mileti oppugnatio.]

men obſcurum eſt) urbi proximam traiecerunt, alij inſcenſis lembis, quos ſunt in portu nacti, cum effugere conarentur, à Macedonum nauibus retracti, interfecti ſunt. Potitus urbe Alexander, inſulam petit, in quam ex fuga oppidani ſe receperant: pontibus in proris nauium prominentibus portari iußis in abrupta inſulæ, tanquam in murum deſcenſuri ſpeciem. Quos ubi paratos ad reſiſtendum animaduertit, eorum miſertus eſt: quoniam et animi generoſitate & fide præſtare uiſi ſunt. Itaque propoſita ijs uenia, ſi militare ſecum uellent (trecenti mercenarij erant) cum conditionem accepiſſent, ijs ignouit. oppidanis autem, quos in expugnatione urbis fortuna ſeruauerat, uitam & libertatem dedit. At Barbari interim mouentes crebro à Mycale cum claſſe, per diem quidem in conſpectum Græcæ claßis aduentantes, ſi forte illos extra portū elicere ad pugnam poſſent: noctu ad Mycalem, locum quoad neceſſaria perincommodum, quòd à Mæandri amni longinquo ſpacio aquam portare neceſſum erat, appulere. Quod cum Alexander intelligeret, Mileti portu ne qua hoſtilis nauis ingredi poſſet naui bus inſeſſo, Philotam ad Mycalem mittit cum omni equitatu, tribusq; peditum cohortibus, qui Barbaros deſcenſione in terram prohibeat. Barbari uſu aquæ, cæterarumq; rerum neceſſariarum inhibiti,

Alexandri in uictos clementia.

inde Samum petebant, importatisq; commeatibus Miletū uersus reuertebantur, et plurimas inde nauiū ipsarum ante portus fauces in alto constituerunt, si quo modo Macedonum naues prouocare in altum possent. quinq; autem earum in portum quendam inter aliam insulam & exercitum se iniecerunt, ea spe ut uacuas Alexandri naues comprehenderent: quòd nauticos socios alios procul à nauibus lignatū, alios ad importanda necessaria, nonnullos prædatū profectos acceperant, & pars quidem naualium sociorum aberat. Cæterum Alexander mox ut Persarū naues propius aduentare conspexit, ex ea copia nau ticorum, qui tum aderant, naues decem celeriter armatas obuiam mittit: utq; in eas contrarijs prioris ferantur, imperat. Persæ ut uiderunt naues illas præter spem aduersis se contendere, subitò conuersi ad reliquam classem fugere cœperunt: è quis una Iasseorum nauis remigio tardior plena capta est. reliquæ ad Persicam classem continuata fuga peruenerunt. Post hæc Persæ cum nihil proficere animaduerterēt, Mileto cum classe discesserunt. quibus digreßis, Alexander tum pecuniæ inopia adductus, tum quod sciret se classe imparem Persis esse, cum nollet neq; ullam quidem exercitus partem temere in discrimen mittere, exarmare classem instituit. Cogitabat præterea, postquam iam terram Asiam cum terrestribus

Iassei.

copijs

copijs tenebat, sese classe non indigere. cumq; maritimas urbes cum exercitu expugnare posset, nullum postea classis usum hostibus fore: quoniam habituri non essent, unde remiges in supplementum acciperent, neq; portus praeterea aut urbes ullas in terra Asiae ad quas diuerterent. idq; significasse aquilam, quae apparuerat, quod ex continenti hostium naues superaturus esset, coniectura quadam interpretebatur. Quibus perfectis, *cum exercitu uersus Cariam iter inuadit: quòd in Alicarnasso non paruae tum barbarorum tum mercenariorum militum copiae esse nunciabantur, omnibus autē inter* Miletum *atq; Alicarnassum oppidis primo impetu captis, quinq; stadia ab Alicarnasso castra posuit. ueluti lōga obsidione urbem domiturus.* Nam *praeterquam quòd erat situ permunita, Memnon (quem ideo Darius inferioris Asiae, reiq; maritimae praefecerat) eam prouinciam omnibus necessarijs multo antè firmauerat, ualido praesidio ex mercenario milite imposito. naues quoque longas in portu ad urbis tuitionem constituit, quarum turmae ad opera facienda magno usui erant. Igitur primo statim die admouente exercitum Alexandro, portis (quae ad Mylassa ferunt) oppidani ac praesidiarij milites ex oppido repēte egressi, in Macedonas emissis iaculis impetum faciunt. Sed mox à Macedonibus repressi, intra moenia compulsi sunt.*

In Cariam expeditio.

Alicarnassi obsidio.

Haud multo pòst Alexander assumptis scutatis & equitatu amicorum, atq; Amyntæ & Perdiccæ Meleagriq; pedestribus copijs, ac præter hos sagittarijs & Agrianis, ad eam partem urbis quæ Myndum respicit contemplaturus accessit: si forte ab ea parte urbs facilius expugnari, ac per improuisam & subitam profectionem Myndo potiri posset, cuius accessionem sibi ad Alicarnaßi obsidionem multum profuturam existimabat, cuius rei occasio sibi offerretur. quidam enim ex Myndo ad eum uenerant, clandestinum aditum per noctem polliciti. Profectus ita Myndum nocte intempesta uti conuenerat, muroq; appropinquans, postquam Myndenses nihil intus miscere animaduertit, quamuis scalarum copia non esset, quòd non oppugnaturus, sed per proditionem urbem recepturus uenerat: nihilominus tamen Macedonum phalange propius admota, cum murum subrui imperasset, continuo Macedones turrim unã euerterunt: qua collapsa, murus defensore nudatus est. Cæterum oppidani summa ui resistendo, unà cum ijs qui mari ex Alicarnasso uenerant, conatus eius irritos fecere. Atq; ita re infecta, ad Alicarnaßi obsidionem reditum. Ac primum omnium fossam, quam oppidani ante urbem perduxerant, XXX cubitorum latitudine, altitudine XV repleri imperauit: quo facilius ligneæ turres, ex quibus in propugnatores

Myndus.

Myndensiũ uirtus.

res iacularentur, aliæq; præterea machinæ quibus mœnia quaterent, oppido admoueri possent. Fossa haud difficulter repleta, ligneæ turres iam appelli cœperant. quod oppidani conspicati, cum per noctẽ in ipsa opera ignem iacturi impetum fecissent, à Macedonibus, quibus earum rerum custodiam mandauerat, tum ab alijs qui clamore excitati subito accurrerunt, intra muros repulsi sunt. Ac ex ijs ad CLXX ceciderunt: in quîs Neoptolemus Arrabæi, transfuga, Amyntæ frater. De exercitu Alexandri non plus XVI cæsi sunt, uulnerati uero propè CCC. idq; contigit, quoniam nocturno prælio minus hostium tela uitare poterant. Haud multis diebus interiectis, duo Macedones contubernales ex ea cohorte, cui postea Perdiccas præfuit, uino concalefacti, cum uterq; res à se gestas quàmmaxime conaretur uerbis extollere, & ob id inter se contentio de principatu exorta esset, muros urbis ab ea parte quæ ad Miletum uergit, sine cuiusquam iussu armati continuo adeunt: magis ut audaciam ostentarent, quàm cum hostibus pugnam capesserent. Hos oppidani quidam intuiti duos modò esse, ac temere muros succedere, subito ex urbe egressi adoriuntur. Illi propius profecti, protinus eos obtruncant: mox alios oppidanos remotiores, quos clamor eò traxerat, iaculis petunt. Nec uero ex eo tantum superiores erant, quòd

Neoptolemi interitus.

Audax facinus.

quòd ex editiore loco tela mittebãt: ſed etiã numero. multi enim ex Perdiccæ cohorte, pleriq; ex caſtris auxilio cucurrerant. Ex quo contigit, inſigne prælium ſub urbẽ fieri. quo prælio oppidani denuo intra portas à Macedonibus reiecti ſunt. Parumq; ne urbs eo impetu caperetur abfuit. nam & murorum cuſtodia indiligens erat, et duæ præterea turres cum muro inter iecto funditus uſq; corruerat. Nec ſanè irruptio difficilis fuiſſet, ſi tum cũ toto exercitu pugnatũ foret. Alia quoq; turris collapſis turribus proxima, tormentorum ictibus concuſſa, ſi ſubruta à Macedonibus fuiſſet, facile & ipſa concidiſſet. Quod oppidani metuentes, lateritium murum ſemicirculi inſtar intrinſecus ſuffecerant: nec difficulter, magna oppidanorum manu in eo opere occupata. Huic muro po ſtridie cum Alexander tormenta admouiſſet, oppidani ſubito ad ea igni corrumpenda ex oppido prouolant: & partem quidem cratium quæ muro propinqua erat, partem etiam turris ligneæ comburũt. Cetera ſtrenue à Philota & Hellanico operũ cuſtodibus defenſa ſunt. Poſtquam oppidani pugnæ interceſſe Alexandrum conſpexere, ſudibus armiſq; abiectis trepidi in urbẽ ſe recipiunt. Initio oppidani propter loci naturam (erat enim altior) ſuperiores erãt: nec ſolum contrario ictu, ſed etiã à latere propugnatores feriebant. at eos qui muro euerſo propinquabant,

Alicarnaſſi expugnatio.

Hellanicus.

bant, facile à tergo ferire poterãt. Haud multo pòst cum Alexander muro lateritio interius suffecto opera iterum admouisset, ipseq; adesset hortator: oppidani partim quà murus disiectus erat, partim à Tripylo patefacta repente porta præter Macedonũ opinionem ex oppido erumpunt, operibus faces & alia quæq; incendij nutrimenta inijcientes. Sed ab Alexandro repulsi, atq; ex turribus petiti, mox in urbem pedem referre coacti sunt, non parua suorum cæde: ac tanto maiore, quanto plures hoc prælio, quàm superiore, maiori ue audacia ex oppido exierant. Nã qui cũ Macedonibus pugnauerant, aut in prælio, aut in fuga circa murum erutum cæsi sunt. quoniam & uia angustior erat, quàm ut tantæ multitudinis capax esset: & muri strages difficilem transitum faciebat. Ad hæc oppidanos, qui è Tripylo exierant, Ptolemæus cum Addæi ac Timandri cohortibus, & quibusdam præterea leuis armaturæ militibus in fugam uertit. Qui dum per angustum põtem præaltæ fossæ iniectum tumultuosius fugiunt, præ multitudine incumbentium ponte perfracto, pleriq; eorum in fossam ruentes, obruti sunt: nonnulli à suis, alijs super alios incidentibus, oppreßi: plures etiam à Macedonibus desuper necati. Ingens autem oppidanorũ cædes circa portas edita est. nam cum portas oppidani clausissent, ueriti ne hostes unà secum urbem intrarent:

Tripylus.

Addæus.

rent:

rent: pleriq; ciues exclusi sunt, quos Macedones sub mœnibus obtruncauere. Parumq; absuit, quin eodẽ impetu urbs ipsa caperetur. Cæterum Alexander urbis illius conseruandæ quàm euertendæ cupidior, siquid forte Alicarnassenses placabile afferrent, recepitui cani iussit. Ex oppidanis circiter mille desiderati sunt, ex Macedonibus uero non plus XL. inter quos Ptolemæus & Clearchus sagittariorũ dux, & Addæus mille peditũ ductor, atq; alij Macedones, & ij quidem non obscuri. Secundũ hanc pugnam Orontobates ac Memnon Persarum duces colloquio inter se habito, cum intelligerent ex præsenti rerum statu, non posse se diutius obsidionem perferre, quòd magnam iam partem murorũ disiectam, partem ruinæ proximam, multos præterea militũ in eruptionibus aut defecisse, aut ex uulneribus ad pugnandum inutiles factos animaduertebãt: circiter secundam noctis uigiliam turrim ligneã, quam aduersus opera hostiũ excitauerant, & item armamentaria incendunt, tectisq; muro proximis ignem inijciũt. Quædam etiã longinquiora flamma comprehendit, uento in eam partem incendium ferente. eorum partem in arcem insulæ, partem in arcem (quam Salmacidam uocant) sese receperunt. Quæ cum Alexander ex transfugis quibusdã cognouisset, ingentesq; ignes procul animaduerteret, quamuis iam media nox instaret, Macedonibus

Alexandri clementia.

Salmacis arx.

donibus eductis urbem ingressus, qui domos incende rent occidi imperauit: cæteris uero parci, qui intra tecta inuenti essent. Postquam illuxit dies, cõtemplatus arces, in quas Persæ ac mercenarij milites confugerant, cum eas ui expugnari posse desperaret, intelligeretq; diuturna obsidione ob locorũ naturã opus esse: cũ iam urbis potitus esset, ijs qui nocturno prælio interierant humatis, machinisq; & operibus in Tralles comportari iussis, urbem solo æquauit. Profecturus inde in Phrygiam, Cariæ Ptolemæum præfecit, peditũ trium milium, equitũ ducentorũ præsidio relicto. Constituerat iã antea, uti Ada Hecatomni filia, Hidriei soror, eademq;(Carũ lege) uxor, cui uir moriens regnũ reliquerat, ipsi prouinciæ dominaretur. Erat enim consuetudo apud Cariæ populos, usq; adeò à Semiramide profecta, uti liceret & fœminis regnare. Eam Pexodarus regno eiecerat, translata in se rerum potestate. namq; Orontobates Pexodari gener à Dario missus, illa expulsa Cariam regebat: nec quicquam Ada in tota Caria præter Alinda, urbem eius prouinciæ munitissimam, tenebat. Hæc prius ingresso Cariam Alexandro obuiam profecta, Alindis urbe tradita, eum in filium adoptauerat. Alexander nec liberalitatem fœminæ, nec filij nomẽ aspernatus, urbem eidem custodiendam reliquit. Postquam uero Alicarnasso et reliqua Caria potitus est,

Alicarnassus occupata.

Tralles.

Ada Cariæ regina.

Alinda.

est, memor accepti beneficij, uniuersam Cariam eius imperio subiecit. Post hæc cum sciret plerosq; Macedonum, qui secum militabant, paulo ante quàm in Asiam proficiscerentur uxores duxisse, ea res sobolis causa sibi neutiq; negligẽda uisa est. Itaq; ijs Macedoniæ adeundæ, & cũ uxoribus hybernandi potestatẽ fecit: ijsdemq; Ptolemæũ Seleuci, unũ ex corporis custodibus: ex ducibus uero copiarum, Cœnum Polemocrati, & Meleagrum Neoptolemi (nam & hi recenter uxores ceperant) præfecit, mandauitq;, ut & ipsi reuerterentur, & commissos sibi Macedonas ad se reducerent: ad hæc, quo maiorem possent, peditum atq; equitum delectum domi haberent. Nec temere ex alia re quapiam Alexander sibi Macedonũ

Cleander. *animos æquè conciliauit. Cleandrum uero Polemocratis in Peloponnesum ad habendos delectus mittit: Parmeniona in Sardos, data ei equitum amicorũ, item Thessalorum ac sociorum præfectura: ad hæc ut currus ducat, atq; è Sardis in Phrygiam proficis-*

In Lyciam et Pamphilam profectio. *catur, mandat. Ipse in Lyciam & Pamphyliam tendit, eo consilio, ut ora maritima in potestatem redacta, nauales copias hostibus inutiles redderet. Et primo quidem impetu ex itinere Hyparna locum natu-*

Hyparna. *ra munitum cœpit. mercenarij namq; milites, qui in præsidio erant, cõ initio inducias pacti, sine certamine arce excesserunt. Deinde Lyciam ingressus, Telmisseos*

Telmissεos sine ullo negocio protinus recepit: Xanthoq; amni pertransito, urbem Pinara, & Xanthū. & Patara, & alia præterea aliquanto minora oppida circiter XXX *in deditionem accepit. His rebus gestis Myliada, quæ pars est maioris Phrygiæ, sed ex mandato Darij cum Lycia contributaria, media in hyeme inuadit. Quo tempore Phaselitarum legati amicitiam petentes, aurea corona dono allata, ad eum accessere. Eademq; de re complures Lyciæ inferioris populi, accepta fide, ad eum legatos miserunt. Qui tradere urbes iussi, missis qui ea reciperent, haud cunctanter dicto paruere. Ipse paulopòst in Phaselitas profectus, castellum quoddam in ea regione situ permunitum, quod Pisidæ ædificauerant, cepit: unde excursiones crebras facientes Barbari finitimos agros uastare consueuerant. In ea regione castra habenti refertur, Alexandrum Aëropi, quem ex amicorum numero Thessalis equitibus præfecerat, uitæ suæ insidiari. erat hic Alexander Heromenis atq; Arrabæi frater, qui necis Philippi conscij fuerant. Sed quamuis paternæ cædis reum Alexander tū absoluerat, & in honore habuerat, quoniam inter primos amicorum post Philippi mortem ad se uenerat, & in regna proficiscenti unà cum cæteris amicis armatus comes accesserat, hunc et in Thraciā ducem copiarum miserat: & Cala Thessalorū equi-*

Myliæ.

Phaselitæ.

Alexander Aëropi.

Calas.

d tum

tũ duce satrapa facto, eundẽ Thessalo equitatui præfecerat. Consilium eius de insidijs per hunc maxime modum cognitum est. Darius postquam Amyntas ad se transfugit, tulitq; ab hoc ipso Alexandro & mandata & literas, Asisenem Persam, unum ex ijs quibus plurimum fidebat, in maritimam prouinciam sub specie quidem legationis ad Atizyem Phrygiæ præsidem miserat: re autem uera, uti hunc Alexandrum conueniret, eiq; & Macedoniæ regnum, & mille insuper auri talenta, si Alexandrum interficeret, polliceretur. Cæterum Asisenes à Parmenione comprehensus, coactusq; confiteri quid uenisset, per fidos custodes ad Alexandrum perductus est. Qua re cognita Alexander, quid de insidiatore decernendum sit, statim amicos consulit. Illi uideri sibi, optimam equitatus partem infido homini haud committendam fuisse: nunc è medio tollendũ, anteq̃ familiarior Thessalis factus, unà cum eis aliq̃d noui struat. Terrebat eos prodigium recens uisum. nam dum Alexander Alicarnassum obsideret, quiescente eo sub meridiem, hirundo quædam cum garritu maximo super dormientis caput uolitare, & modo in hãc modo in illam lecti partem sese inferre, ac turbulentiores quàm sit autium earũ natura garritus edere, conspecta fuerat. Alexandrum tunc, utpote labore fatigatum, somnus oppresserat: sed acutißimo auiculæ garritu

Insidiæ in Darium proditæ

Asisenes.

Hirundinis augurium.

garritu tandem excitatus, eã continuo manu reppulit. Tantum uero abfuit ut uel repulsa aufugerit, ut rursus ipsius capiti insidens non prius discesserit, quàm prorsus expergefactus sit. Eam rem Alexander minime negligendam arbitratus, cum Aristandrum Telmissẽum peritißimum uatem consuluisset, parari sibi à domesticis insidias respondit: cæterum fore, uti insidiæ deprehenderentur. Hirundinem enim cum hominibus consuescere, ac cæterarum auium loquacißimam esse. Hæc igitur, & ea quæ ex Persa Alexander audierat, animo reputans, Amphoterum Alexandri filium, Crateri fratrem, ad Parmenionã confestim mittit: & unà cum eo Pergenses quosdam, qui essent itineris duces. Amphoterus Persico habitu assumpto, ne agnosceretur, ad Parmenionã peruenit, Alexandriq; mandata exposuit. nanq; Alexandro non uisum est, de ea re literas dandas esse. Quibus Parmenioni cognitis, Alexander reus in custodiam traditur. Post hæc Alexander ex Phaselide mouens, partem exercitus per montana in Pergas (quà illi demonstratum est iter difficilius quidem aliquanto, sed breuius) mittit: ipse secus mare reliquam partem ducebat. Huius regionis ea natura est, ut nisi flatibus septentrionijs peruadi non poßit, austris spirantibus ægrè aditur.

Aristander uates.

Amphoterus

Alexander Aeropi in uincula conijcitur.

tunc uero post graues notos septentrionij repente ex orti, non sine diuino quodam numine (ut ipse Alexander, & qui cum eo erant, interpretabantur) celerē ac facilem transitū præstitisse uidebantur. Ex Pergis ulterius proficiscenti, obuiam facti sunt Aspendiorum legati, urbis quidem deditionem pollicentes: cæterum ne præsidia in oppida introduceret, postulantes. idq; ijs concessum, si modo exercitui talenta quinquaginta in stipendium penderent, equosq; traderent, quos Dario tributi nomine dare consueuerant. Quibus conditionibus acceptis, dimissi sunt. Digressus inde Alexander, Siden uersus profectus est. Sunt autem Siditæ Cumei, ex Cumis Aeolijs oriundi. Hi miranda quædam de origine sua prædicabant. progenitores suos, qui primi eam regionem incoluerant, cum primum eam terram attigerunt, patrij sermonis oblitos, aliena lingua loqui cœpisse: nec finitimorum quidem Barbarorū, sed sua, & propria. atq; ab eo tēpore Siditas uicinis populis lingua differre. Post hæc Alexander relicto in ea urbe præsidio, Syllium petit. erat is locus tum natura, tum mercenariorum militum & indigenarum præsidio munitus. Quapropter repentino prælio capi nō potuit. Eunti præterea nunciatum fuerat, Aspendios nihil eorū quæ pepigerant, præstare: ex agris omnia in urbem portasse, portas ijs qui ab eo uenerant clausisse: ad hæc

Aspendiorū deditio.

Side.

Siditarum lingua.

Syllium.

hæc muros, ſicubi infirmiores erant, ſufficeret. Quibus cognitis, conuerſo itinere in Aſpendios rediјt. Ea uero urbs ut plurimum ſita eſt in rupe confragoſa, atq; edita: circa quam Eurymedon amnis excurrit. in extremo rupis ſita erant non pauca ædificia, modico muro circumiecto: quiq; in his habitabãt, diffiſi loci monumento, ut audierunt Alexandrum aduentare, confeſtim deſerto muro in arcem ſe recipiunt. Alexander ut primum eò cum exercitu peruenit, murum defenſoribus uacuum tranſgreſſus, ibidem caſtra ponit. Aſpendij ut ſe undiq; circumſeſſos uidere, repentè caduceatores ad eũ mittunt oratum, ne quid de conditionibus mutaret. Alexander cum & locum conſideraret natura munitũ, & ſe ad diuturnam obſidionem imparatum eſſe, conditionibus tantum adiecit, ut obſides è principibus ciuitatis darent, et pro quinquaginta talentis centum traderent, & quotannis tributum Macedonibus ſoluerent: ſatrapæ, quem ipſe inſtituerat, parêrent: ac demum iuri ſtarêt, pro agris illis, quos iniuſte tenere à finitimis accuſabantur. Quibus conditionibus receptis, in Pergen, ut inde in Phrygiam peteret, iter intendit, præter Telmiſſum urbẽ, cuius homines à Piſidis oriundi Barbari ſunt. Erat is locus natura munitiſſimus. ſita eſt enim urbs in excelſo monte, undiq; confragoſo, aditu difficili atq; arduo: nam uſq; adeò à ſummo

Eurymedon flu.

Telmiſſi ſitus.

montis uertice in procliue pertendit. è regione mons alter situs est, æque altus ac præceps, tanta inter se propinquitate, ut ex ijs uelut portæ quædã efficiantur: atq; ut uel cum paruo præsidio ijs montibus insessis, non facile sit eò exercitum traducere. Horum utrunq; Telmissei auxilio profecti, Alexandri metu occupauerant. Quod cum Alexander procul intueretur, Macedonas iubet ad radices montium castra facere: arbitratus, postquàm Telmisei uidissent se castris positis manere, fore uti in urbem propinquam relicto præsidio reuerterentur. Nec eum fefellit cogitatio. statim enim relicto in collibus præsidio, cætera multitudo in urbem se recepit. Qua re cognita Alexander, adductis repente sagittarijs & iaculatoribus ac leuis armaturæ militibus, contempta paucitate, præsidium inuadit. quod ubi ad teli iactum appropinquatũ est, arrepta protinus fuga, montes deseruit. Tunc Alexander superatis protinus angustijs, ante ipsam urbem castra posuit. quò ad eum uenere à Selgeis legati. Sunt autem & hi è Pisidarũ gente, belloq; acres, magnam urbem incolebant. Hi, quia sibi cum Telmiseis ueteres inimicitiæ erant: legatos ad Alexandrum amicitiam petentes miserant. Quibus in amicitiam receptis, postea Alexander ut fortibus uiris usus est. Contemplatus deinde Telmiseæ urbis situm, non paucorum dierum

Telmisum expugnatur.

Selgei.

rum eius expugnationem arbitratus, Salagasum petit. erat autem & hæc urbs Pisidarum, non parua: & cum omnes Pisidæ bellicosi existimentur, illi tamen uirtute cæteros anteire putabantur. Collis erat ante urbem, quem quoniam situ non infirmiorem urbis mœnibus putabant, occupauere. Quo uiso Alexander, exercitum extemplo in duas partes diuidit. In dextro cornu, cui ipse præerat, argyraspides locat: post hos pedites regios, extensa acie usq; ad sinistrum cornu, prout ea die singulis copiarum ducibus ordinum ducatus contingebat: sinistro cornu Amynta Arrabæi præposito. in dextro autem cornu locauerat sagittarios, & Agrianos: in sinistro, iaculatores Thraces, quorum dux erat Sitalces. nam equites in illa locorum difficultate inutiles erant. Qui uero Pisidis ac Telmiseis præsidio antè accesserant, etiam cum his in acie erant. Iamq; Alexandri acies montem subibant, cum Barbari subito ex insidijs prouolant, ac circa utrunque cornu à lateribus desuper circunfunduntur: & sagittarios quidem in fugam uertunt, utpote leuiter armatos, & qui ante alios excurrerant. Agriani substiterunt. nam & propinqua erat Macedonum phalanx, & ante ipsam Alexander conspiciebatur. Postquàm autem comminus in pugnam uentum est, Barbari inermes cum armatis Macedonibus obuiam

Salagasum urbs.

 irent,

irent, uulneribus acceptis in fugam se conijciunt, amißis prope quingentis. Cæterum quia leues, & locorum gnari erant, facile euaserunt, Macedonas & armorum grauitas, & regionis ignoratio ad insequendos hostes retardauit. Post hæc Alexander iam uictor secutus, ac Salagasseos aggressus, corũ urbem magna ui cepit. In cuius urbis expugnatione, ex ijs qui secum erant, Cleander, unus ex copiarum ducibus, desideratus: ex militibus, circiter uiginti. Ea urbe capta Alexander inde mouens, aduersus reliquos Pisidas exercitum ducit: & alia quidem eorum castella ui, alia per deditionem recepit. Inde in Phrygiam conuersus, ad paludem quam Ascaniam uocãt, se contulit. in ea palude suapte natura sal gignitur, quo finitimi utuntur, nec ob eam rem mari indigent.

Cleandri interitus.

Ascania palus.

Hoc in loco Curtius ordi- tur historiæ fragmentum.

Quinto die post Celænas peruenit. Erat in ea urbe arx, situ & opere munita: in quam Phrygiæ præses milites mille ex Caria, Græcos autem mercenarios centum præsidio imposuerat. Hiq; ad Alexandrum miserunt, qui pollicerentur arcis deditionem, nisi intra certam diem auxilium à satrape afferretur. Quod tempus expectare Alexander, quàm arcem undiq; inexpugnabilem prælio adoriri, aut obsidere, commodius arbitratus, oblatam conditionem non respuit. Nullo ad diem auxilio profecto, urbs cũ arce recepta est. quibus mille et quingentorum militum

Celænæ occupatæ.

tum præsidio firmatis, decem dies ibidem commoratur. Antigono dein Philippi Phrygiæ præposito, & Balacro Amyntæ (qui sociorum dux erat) in eius locum suffecto, Gordion contendit: scribitq; Parmenioni, uti copijs adductis sibi obuiam procedat. Interim qui Macedoniam ad uisendas uxores ierant, eódem adueniunt, & cum his noui delectus, Ptolemæo Seleuci, & Cœno Polemocratis Meleagroq; Neoptolemi, ducibus. Erant hi quidem Macedonum, pedites circiter mille, equites CCC, Thessalorum equites ducenti, Eliorum CL. quis præerat Alcias Elius. Est urbs Gordium in Phrygia, propinqua Hellesponto, ad Sangarium amnem sita. eius fluminis fontes in Phrygia oriuntur, & per Thraces Bithynos labens, Euxinum pontum influit. Huc Atheniensium legati ad Alexandrum uenere, oratum uti ciues suos quos captiuos haberet, dimitteret: qui ad Granicum amnem in pugna capti, atq; in Macedoniam missi, unà cum alijs captiuis ad duo milia in uinculis habebantur. Quod Alexander abnuit: haud tutum esse arbitratus, durāte aduersus Persas bello, metū de se Græcis adimi, qui contra Græciam pro Barbaris militassent. cosq; à se tum deniq;, cum præsens bellum finitū esset, peti iussit.

Gordii situs. Sangarius flu.

ARRIANI NICOMEDENSIS de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum, Liber Secundus.



NTEREA Memnō à Dario classi præfectus, ac uniuersæ præterea oræ maritimæ, cum bellum in Macedoniam ac Græciā transferre cogitaret, Chium insulam per proditionem recepit. Inde Lesbon petens, Mitylenæis resistentibus, cætera insulæ oppida partim ui, partim uoluntate ad se traxit. Post hæc Mitylenas conuersus, urbem ipsam in promontorio sitam, quantum ab uno littore ad alterum pertinet, duplici uallo ac fossa circumdedit: & in hoc spacio castellis quinq; excitatis, exclusa urbe à cætera insula, facile reliquis insulis dominabatur. Ea parte quidem nauiū ad portus obsidionem disposita, partem reliquam apud arcem, quam Sigrium appellāt, statuit: eo uidelicet consilio, uti onerarias naues ex Chio, Geræsto, ac Malea uenientes, prohiberet arcis aditū, ne quid inde ad Mitylenæos obsessos perueniret. Inter hæc morbo mortem obijt. quæ quidē res Darij rebus, si quid est quod obfuerit, uehementer obfuit. Eo mortuo, Autophradates, ac Pharnabazus, cuius fidei Memnon moriens

Mitylenæ.

Sigrium.

Memnonis mors.

classis principatũ commiserat, donec Darius de præfecto constituisset (erat enim ex sorore natus) inchoatæ obsidioni haud negligenter incumbebat. Quapropter Mitylenæi, cum sese terra mariq; circunsessos animaduerterẽt, ad Pharnabazum mittunt, qui se facturos imperata spondeant, si externos milites pro iure societatis ab Alexandro auxilio ad se missos, incolumes abire patiantur: Mitylenæi autem euersis quas Alexandro posuerant statuis, à Dario socij & amici appellentur, ut in pace per Antalcidã facta cum Dario contineretur. Ea Pharnabazus ne diutius tempus in obsidione tereret, se concessurum respondit: si tabulas, in quibus incisa erant fœdera quæ ijs cum Alexandro essent, deponerent: siue exules, quorum uix iam dimidia pars superesset, in urbem reducerent. Quibus conditionibus receptis, ingressus urbem Pharnabazus & Autophradates, præsidium introducunt: eiq; Lycomedem Rhodium præficiunt, ciuitatiq; tyrannum imponunt Diogenem, unum de numero exulum, grandi pecunia partim à singulis partim à ciuitate extorta. Quibus peractis, Pharnabazus Lyciam cum classe petit, milite mercenario secum abducto: Autophradates ad insulas circuniectas contendit. Inter hæc Darius Thymondam Mentoris ad Pharnabazum mittit, qui mercenarios recipiat, seq; illum

Antalcidas.

Mitylenæorum cum Persis fœdus.

in Memnonis locũ suffecisse nunciet. Pharnabazus traditis Thymondæ militibus, cõtinuo ad Autophradatem nauigat: communicatoq; consilio, Datame Persa cum nauibus decem in Cyclades misso, ipsi cũ nauibus centum Tenedon petunt. Ingreßiq; portum, qui Borealis appellatur, insularibus imperant, uti tabulas in quibus fœdera cum Alexandro & Græcis incisa erant, deponant: cumq; Dario eam pacem habeant, quæ per Antalcidam conuenisset. Tenedenses, quamuis Alexandri amicitiam Darij amicitiæ longè præferrent, tamen quoniam in eo rerum statu difficile uidebatur seruari posse, nisi imperata facerent, eo quod Egelochus (cui Alexander mandauerat, uti classem rursus compararet) nondum eas naues composuerat, quæ possent obseßis opem ferre, metu magis quàm uoluntate paruerunt. Dum hæc aguntur, Proteas Andronici ab Antipatro iussus, uti ex Eubœa ac Peloponesso naues longas cogeret, quæ insulis & reliquæ Græciæ præsidio forent, si forte (ut fama erat) Barbari in eas oras cum classe nauigarent: cũ audisset Datamen cum nauibus decem ad Siphnũ stare, ipse cum † uiginti nauibus noctu Chalcidem ad Euripum sitam defertur. postridie ad Cythnum insulam appulsis nauibus, cum diem ibi consumpsisset, quo de illis decẽ hostiũ nauibus certior fieret: simul ut per noctem impetu facto, Phœnicibus terribilior appareret.

Datames. Egelochus. Proteas. ἔχων πεντεκαίδεκα.

appareret. Postquam uero comperit, Datamen in nauibus Siphni esse, noctu inde mouens, sub auroram hostes improuiso adortus, octo ex eis naues plenas cepit. Datames cum duobus reliquis primo congressu in fugam uersus, ad aliam classem se recepit. Postquam Alexander Gordion peruenit, cepit eū (ut fit) uisendæ arcis desiderium, in qua Gordij ac Midæ filij regia erat: quo Gordiani currus iugum, & iugi ipsius insolubilem (ut ferebatur) nodum inspiceret. Ingens enim fama de eo curru apud finitimos erat: Gordium unum fuisse ex antiquis e Phrygia pauperem uirum, exiguum agrum habentem, ac præterea duo boum iuga: cum uno quidem arare, cum altero res rusticas uehere solitum. Eo aliquando arante, aquilam in iugo consedisse, ibiq; ad uesperam permansisse. Gordium ostento territum, Telmissεos uates, prodigiorum interpretes (quod diuinandi scientia tã fœminis quàm maribus eius gentis insita esset, quasi hæreditaria) de ea re consulere statuisse. Cum in pagum quendam Telmiseorum peruenisset, uirgini cuidam ad fontem proficiscenti obuiam factum, quid sibi euenisset narrasse: illam, quæ ex eo diuinatorum genere esset; uti eódem reuerteretur, Iouiq; regi sacrificaret iussisse, lætum augurium esse. Gordium, uti secum proficisceretur, ut sciret quo nam modo sacrificaret, orasse. secutam uirginem: cumq; sacrificium

Gordii currus.

Telmisseæ gentis diuinandi ars.

crificium uti iussus est, perfecisse. quo peracto, eã in con iugem cœpisse, ex ijs Midã pueru genitum esse. Qui cũ in uirum formosum atq; præstantẽ euasisset, seditione inter Phrygas exorta, remedium malo consulentibus, oraculum editum, currum ijs regem allaturum esse, qui seditionem tolleret. Suspensis hoc responso, Midam curru uectum cum parentibus interuenisse, seq; in concilium ita ut erat in curru exhibuisse. Phrygas coniectura ratos hunc esse quem sortes cecinerant, eum continuo Phrygiæ regem creasse. quo facto, seditione sublata, Gordij patris currum Ioui in arce suspendisse: gratias agentem, quòd aquilam (quæ in tutela Iouis esset) augurio patri misisset, ex quo regnum adeptus esset. Præter hæc & illud etiam de curru fama uiguerat: Si quis eius iugi incognitum nodum aliquando soluisset, fore uti is totius Asiæ potiretur. erat autem id uinculum ex cornu arboris libro: tantaq; arte connexum, ut ipsius nodi neq; finis, neq; initium ullum extaret. Alexander id sæpius manu uersans, non comperta nodi ratione, cum prorsus statuisset insolutum non linquere, ne ea res in religionem apud milites uerteretur, quidam autores sunt, protinus ense discidisse: solutum à se clamans. siue ut augurij sortem eluderet, siue quod nihil putaret interesse solu-

Midas.

Gordii nodus.

tum'ne an discissum esset. Aristobulus tradit, clauum ab eo ex temone, per quem clauus ipse traiectus uinculum continebat, reuulsum, atque ita temoni detractum. Ego uero quo'nam modo id egerit, in tanta scriptorum uarietate non ausim affirmare. Sed ita discessit à curru, & qui cum eo erant, quasi oraculi fides impleta esset: secutaq; nocte proxima, tonitrua ac fulgura eam opinionem comprobauere. cuius rei causa posterò die sacrificauit dijs, qui & signa impletarum sortium, & soluendi nexus rationem ostendissent. Postridie inde mouens, cum Ancyram (quæ in Galatia est) profectus esset, Paphlagonum legati ad eum uenere, amicitiam petentes, seq; & gentem suam in potestate eius futuram pollicentes. Id uero postulabant, ne cum exercitu fines suos intraret. Quod cum concessisset, eos Calæ Phrygiæ præsidi parere iussit. Deinde Cappadociam petens, quicquid est cis Halym flumen, magnam etiam eius partem trans Halym cepit. Subactaq; prouinciæ præposito, ad eas angustias quibus Cilicia aditur (Pylas incolæ appellant) procedit. Profectus ad eum locum, quem castra Cyri uocant, illius inquam Cyri, sub quo Xenophon egregius copiarum dux meruit. Postquàm agnouit fauces illas ualido

Ancyra.

Calas.

Halys flu.

Cyri castra.

præsidio

præsidio teneri, interruptumq; transitum, Parmenione cum grauis armaturæ peditatu permanere iusso, ipse sub primam noctis uigiliam argyraspidas ac sagittarios & Agrianos adducens, eò se confert, ueluti præsidium de improuiso inuasurus. Nec tamē custodes omnino latuit eius, postquam appropinqua re cœpit, profectio. Sed prospere cessit audacia. nam ubi regem adesse cognouerunt, metu perculsi, locum repente deseruerūt. Quo insesso, postridie erumpen te luce cum omnibus copijs Pylas transgressus, in Ciliciam descendit. Hic ei nunciatum est, Arsamen, qui Tarso præerat, postquam audisset eū superatis angustijs in Ciliciam transisse, destituere urbem decreuisse: Tarsenses timere, ne ille prædæ cupiditate urbē diriperet, direptam relinqueret. Quo cognito, Alexander equites ac pedites, quicunq; erant leuis armaturæ, præpopere Tarson ducit. De cuius aduentu Arsames certior factus, urbe excedens ad Darium abijt, nullo prorsus detrimento ciuibus illato. Apud Tarson Alexander (ut Aristobulus tradit) præ nimio labore in ægritudinem incidit. Sunt qui tradant, excalefactum ac sudantem ex itinere, præ desiderio recreandi corporis, sese in Cydnum flumen proiecisse. Is amnis ex Tauro monte oriens, mediam Tarson intersecat: ac per loca pura effluens, nitidas & easdē frigidissimas undas uehit, ob eam causam Alexandrū neruorū

Arsames.

Cydnus flu.

neruorum dolore affectum, in uehementem febrim atq; insomniã incidisse. Asserunt etiam cæteros medicos de salute eius desperasse, præter Philippum Acarnanem: cui uni magno à se in honore habito, in his quæ ad medicas artes pertinent, summam fidem habebat. Hunc ad leuandam ægritudinem, medicatã potitionem regi adhibuisse. cumq; calicem regi traditurus esset, interim Alexandrum per epistolam à Parmenione monitum, ne Philippo salutem suam crederet, à Dario pecunia corruptum: quam ubi legit, accepisse manu calicem, epistolam Philippo legendã dedisse. quo legente, Alexandrum medicamentum intrepide hausisse: & in Philippo, quod nihil esset fraudis, statim patuisse. neq; enim in legenda epistola exterritũ: sed id modò Alexandrum monuisse, uti eius consilijs acquiesceret, si recuperare salutem cuperet. Postquam ex morbo conualuit, & Philippo quantum fidei haberet, & cæteris in non facile admittendis suspicionibus quàm constans esset, quamq; præterea ad mortem paratus, ostendit: post hæc ad occupandas portas, quæ Ciciliam ab Assyria diuidũt, & insidendos aditus Parmeniona præmittit, peditatu sociorũ Græcis mercenarijs ac Thracibus, quorum dux erat Sitalces, Thessalisq; equitibus ei traditis. Ipse pòst è Tarso digressus, primo die ad Anchialum oppidum peruenit. Hanc urbem ferunt Sardana

Alexander febri & ἀγρυπνίᾳ correptus.

Idem Curtius in 3. præterq; Plut. & Gellium, Iustinus in 11.

Sitalces. Anchialos.

danapalum Assyriorum regem condidisse. Ea uero, ut ex circuitu ac fundamētis patet, ampla olim urbs pollensq; fuit. Sardanapali sepulchrum iuxta mœnia erat, in cuius fastigio eiusdem simulachrum conspiciebatur, uti in plausibus maximè fieri solet, manus collidens. Statuæ hæc uerba erant, Assyriorum literis inscripta, eaq; metro, uti incolæ aiebant: hac inscriptionis sententia: Sardanapalus Anacyndaraxæ filius, Anchialum ac Tarsum uno die condidit. Tu uero hospes comede, bibe, lude, cum cæteræ res humanæ hoc plausu haudquaquam dignæ sint: eum sonum, quem manus in plausu commouerit, gestu designans. idq; lasciuo etiam Assyriorum uocabulo scriptum esse. Ex Anchialo Solos Alexander peruenit, præsidiumq; imposuit: oppidanis, quod ad Persas magis quàm ad Græcos inclinarent, ducenta argenti talenta imperauit. Dein cum tribus aciebus Macedonicorum peditū, sagittarijs omnibus, atq; Agrianis, Cilicas, qui montes occupauerant, aggressus, intra septimum diem alios ui, alios uoluntate in potestatem redegit. Reuersus Solos, Orontobatem Persam (qui Alicarnassi arcem, ac Myndum, præterea Caunum, Theram, & Calliopolim tenebat) à Ptolemæo & Asandro uictum accepit: accesserat ad uictoriam & Cos & Triopium, quem Orontobatem magno prælio superatum à se scripserant, cæsis de peditatu eius

Sardanapali epigramma.

Soli.

Orontobates

eius circiter septingentis, de equitatu ad quinquaginta, uiuis præterea non minus mille captis. Post hæc Alexander Aesculapio pro recepta salute gratias agens, sacrificio facto, ludos Gymnicos ac Musicos edidit: Solensibusq; permisit, uti reipub. administrationem in popularem statum commutarent. Quibus perfectis, † Ysson contendit: equitatuq; Philotæ tradito, quem ad † Pinarum amnem duceret, ipse cum peditatu & turma regia Magarsum profectus, Palladi Magarsidi sacrificauit. Inde Mallum oppidum adijt: Ibiq; Amphilocho, tanquam uni ex heroibus, sacrificium perpetrauit. Seditioneq; compressa, quæ inter ciues exorta erat, tributum quod Dario pendebant, ijs (quoniam ea urbs colonia Argiuorum erat) remisit. ipse enim ex Herculis Argiui genere se ortum putabat. Cum adhuc apud Mallos esset, renunciatur ei, Darium cum omnibus copijs Sochos profectum, ibi statiua habere. is uero locus terræ Assyriæ, à portis Assyrijs (quas suprà memorauimus) non plus bidui spacio abest. Conuocatis itaq; amicis, quæ sibi de Dario exercituq; eius nunciata essent exponit. Qui ubi cognouerunt nō multū abesse, ut eò sine mora ducerētur, hortati sunt, quos Alexāder laudatos, dimisit. Inde postridie mouēs, portasq; trāsgressus, sub Myriandrū urbē castra posuit.

εἰς ταρσὸν, πύραμον. & Pyrrhamum apud Curtiū quoq; legitur

Sochis

Ea uero nocte quæ secuta est, tetra tempestas uehementi uento atq; imbri immixta cum exercitum uexasset, ipsum in castris continuit. Darius interea cũ exercitu consistebat: quia eum locum castris delegerat, quem in omni Assyria maxime patenti planicie & apertũ undiq;, & tanto exercitui, equitatui præsertim peropportunum existimabat. quem locum ne desereret, suadebat Amyntas Antiochi, ab Alexandro transfuga: loci latitudinem, multitudini atq; apparatui Persarum conducere arbitratus. Cæterum multa Alexandri mora, quam & Tarsi propter ægritudinem fecerat, & Solis: ubi Palladi sacrificauerat, ludosq; celebrauerat, Cilicasq; montanos domuerat, Darium de sententia depulit. Et Darius quidem suapte natura facile credere, quæ sibi cordi essent. sed tum maxime ab ijs persuasus, qui regibus non utilia, sed iocunda consulunt (certißima regnorum pestis) Alexandrum iam non ulterius progredi existimauit: & ob aduentus sui famam † cum tantis copijs, metu obtorpescere. adulantes enim alius atq; alius aiebant fore, uti uniuersus Macedonũ exercitus ab eius modò equitatu conculcaretur: Amyntas unus ex omnibus ueritati studens, uenturum Alexandrũ, ubicunq; Dariũ esse audiret, affirmabat: suadebatq; Dario, ne ex eo loco castris ac pugnæ idoneo discederet. Cæterum deterior sententia, utpote auribus

Amyntas Antiochi, transfuga.

Assentatores regnorum pestis.

Sexcēta enim multa agebat, inquit Plut.

auribus dulcior, peruicit. Sed siue deus, siue fortuna ipsum in eum compulit locum, ubi nec equitatus nec multitudinis nec telorum ac sagittariorum magnus illi esse usus potuit, nec ostentandi tantarum copiarum splendoris facultas: uerum qui Alexandro haud difficilem uictoriam preberet. Fatale erat, Persas Asiæ imperio à Macedonibus priuari: nec secus ac Medos à Persis, & Assyrios olim à Medis. Darius itaq; superato monte, qui non multum abest ab eo loco, quem Pylas Amanicas uocant (eæ sunt angustæ fauces) Isson contendebat, ignarus Alexandrũ iam tergo instare: eaq; urbe expugnata, quotquot Macedonas propter inualetudinẽ ibidem relictos ab Alexandro comprehendit, crudelem in modum uerberatos necari iussit. Postera die ad Pinarũ amnem processit. Alexander simulac audiuit Dariũm à tergo adesse, non satis credens, quosdam ex amicis in nauim impositos confestim aduersus Isson mittit, percunctaturos an quæ de Dario nunciebantur, uera essent. Qui celeriter profecti, ubi cognouerunt Persas ibi castra habere, sine mora ad Alexandrum reuersi, Darium in manu esse retulerunt. Quo cognito, Alexander conuocatis extemplo exercitus ducibus, turmarumq; præfectis, ac fœderatorum ductoribus, eos bene sperare ex ijs quæ sibi superioribus prælijs prospere euenissent, iubet: certam uictoriã in manu esse: Deũ

Pylæ Amanicæ.

Pinarus flu.

pro se manifestò pugnare, qui Darium impulerit, ut ex spaciosissimis campis in angustias exercitum duceret, ut suis satis amplus ad explicandas phalanges, cæterosq; ordines locus, hostibus uero tanta multitudo ad pugnam inutilis futura esset. ad hæc neq; animo neq; uiribus pares esse, qui secum pugnaturi essent: Persas & Medos bellorum armorumq; desuetudine iam diu emollitos, Macedonas autem diuturnis laboribus ac periculis bellisq; exercitatos atq; induratos esse: seruos præterea cum liberis dimicaturos. Qui uero Græci contra Græcos dimicaturi essent, non eadem conditione dimicaturos. nam qui pro Dario essent pugnaturi, eos pro haud magna mercede periculū pugnæ subituros: qui uero pro se, hos uoluntariè pro gloria & salute Græciæ præliaturos. Thraces, Illyrios, Pœonas & Agrianos fortißimos inter Europæ populos, contrà effœminatas atque ignauas Asiæ gentes in acie staturos. Deniq; Alexandrum aduersus Darium ducem in pugna fore. Et hæc quidem Alexander: quo Macedones ac reliquus exercitus sciret, quantum Barbaris in eo prælio præstarent. Ad hæc periculis quàm magna præmia sint docet. non enim se regulos modo Darij, & equitatum illum qui ad Granicum flumen ex aduerso steterat, & illa uiginti milia mercenariorum militum: sed omnia quæ Persæ Mediq; tenent, quæq;

aliæ gentes Perſarum regno ſubditæ incolunt, totam inquam Aſiam, ipſumq; Darium uno prælio ſuperaturos eſſe, nihilq; obſtaturũ poſt eam pugnã, quo minus ſubacta uniuerſa Aſia laboribus ſuis finem imponant. Admonebat eos præterea rerum illarum, quas fortiter antea & præclarè geſſerant. Sigillatim uero, ſi quis q́d ſtrenue feciſſet, ſuo quenque nomine, ſeq; periculorum omnium in prælijs ſocium & participem fuiſſe cõmemorans. Fertur etiam Xenophontis admonuiſſe, decemq; illorum milium qui cum eo fuere: eos tamen ſibi neq; multitudine, neq; exiſtimatione comparandos eſſe, quod neq; Theſſalos, neq; Bœotios, neq; Peloponnenſes, neq; Thraces, neq; Macedonas, alium ue equitatum habuiſſent: neq; illos præterea ſagittarios, aut funditores, præter paucos quoſdam Cretenſes, & Rhodios, quos in ipſo diſcrimine Xenophon repente inſtruxerat: nihilominus illos cum tam exiguis copijs, regem tanta potentia ſubnixum, ante Babylonis mœnia in fugam uertiſſe. In Euxinum deinde pontum profectos, quæcunq; gentes ſeſe illis in itinere obieccrunt, facile uiciſſe. Alia præterea huiuſmodi adiecit, quæ à bonis imperatoribus ad exhortãdos milites in præliũ memorari conſueuerũt. Vbi finẽ dicendi fecit, tantus omniũ animos Xenophon.

ardor inuasit, ut statim contra Darium se duci roga rent: alter alteri dexteras dantes, regemq; urbis in cœlum extollentes. Tum Alexander corpora curari iubet, præmißisq; quibusdam ex equitibus ac sagitta rijs, explorandi itineris causa, ad angustias quas iam transierat, ea nocte quæ secuta est cum toto exercitu ad eas rursus occupandas proficiscitur. Quibus sub mediam noctem aditis atq; insessis, reliquum noctis militi ad quietem datum: custodibus, ubi opus esse uidebatur, diligenter dispositis. Erumpente luce, cœpit ex montibus descendere, quà arctior erat uia, angustiorem aciem agens. Postquam in aperta loca deuentum est, exercitū tanquam mox pugnaturus instruxit. In dextro cornu sub montem regiam peditum alam, atq; argyraspidas, quis præerat Nicanor Parmenionis, item Cœni ac Perdiccæ cohortes locat. & hi quidem ad mediam armatorum aciem pertendebant. In sinistro cornu Amyntam, Ptolemæum ac Meleagrum, cum copijs attributis statuit: & item Craterum, quem peditatui omni præfecerat. Sinistro cornu Parmenionē præponit, mandans, ne à mari procul recedat, neu à Barbaris (qui multitudine phalangem longe excessuri uidebātur) circumueniri poßit. At Darius, simulac nunciatum est Alexandrum aduentare, instructa acie equitum ad triginta milia, Pinarum amnem transire iubet: & cum his uiginti milia

Alexandri acies aduersus Dariū instructa.

Pinarus flu.

milia leuis armaturæ pedites, quo reliquas copias cõmodius instruat: & primos quidẽ omniũ Græcos mercenarios (ij circiter triginta milia erant) aduersus Macedonum phalangem constituit: ab utroq; latere Cardacos ad LX *milia, quasi alas adijcit. nam & ij de numero armatorum erant. nec plures copias explicari in ordinem sinebat loci situs. A sinistra sub montem contrà dextrum Alexandri cornu, armatorum circiter* XXX *milia, hiq; partim à tergo Macedonibus oppositi erant. Montis enim in quo acies instructa erat pars in longum prominens, sinum quendam non secus atq; in littoribus flexu suo faciebat: quæ pars cum in flexum tenderet, efficiebatur ut qui in postremis locati erant, ij post dextrum Alexandri cornu essent. Reliquam multitudinem tam uelitum quàm armatorum, pro gentium uarietate distributam, post Græcos mercenarios, Barbaros in phalangem redactos, nulli usui in longum direxit. ad sexcenta milia hominum in exercitu Darij ferebantur. Alexander postquam ulterius procedenti sibi locus aliquantum pandi cœpit, equitatum ex amicis, Thessalos uidelicet ac Macedonas, superinducit: atq; in dextro cornu iuxta se locat, Peloponensibus ac sociorum equitatu in sinistro cornu concedere ad Parmenionem iussis. Darius postquam acies instruxit, equites quos trans flumen locauerat, dato*

Darij ordo.

signo repente reuocat: eorumq; maximam partē in dextrū cornu aduersus Parmeniona (quoniam ab ea parte maior equorū usus) reliquā partē in læuū cornu aduersus montē mittit. Cumq; propter angustias sibi in eo loco inutiles uiderentur, permagnam eorū partem in dextrū cornu obequitare imperat: Ipse regū Persarū more, inter duo cornua mediā aciem tenebat. quod qua ratione fiat, Xenophon Grylli tradidit. Inter hæc Alexander cū animaduerteret, totū ferme Persarū equitatū contra læuū suū cornu ad littus translatū esse, solosq; Peloponenses & aliorū sociorū equites id cornu tueri: Thessalorū equitatū citatim post phalanges quàm occultissimè, ne ab hostibus uideantur, eò conferre se iubet: atq; in illorū locū ex equitatu antecursores, quorum Protomachus: & Pæonas, quorum dux Ariston erat. de peditatu uero sagittarios, quis præerat Antiochus: & Agrianos, quos Attalus ducebat: ac præter hos ex equitibus ac sagittarijs, quà mons inflexus erat, ad circūueniendum hostem iuxta montem postpositum constituit. qui dexterā partem phalangis tenerent, duo in cornua diuisi: quorum alterum aduersus Dariū & reliquos Persas trans flumen stantes, alterum aduersus eos qui ad montem à tergo constiterant, spectaret. Ante sinistrum cornu dispositi erant ex peditatu Cretenses sagittarij, ac Thraces, Sitalce du-

Ordinum duces.

ce:ante hos equitatus læuo cornu attributus, mercenarij milites primi omnium locati erant. Cumq; phalanx in dextro cornu constituta Alexandro haud satis densa firmaq; uideretur, appareretq; Persas ab ea parte plus posse, Peridam Menesthei, ac Pantordanũ Cleandri cũ duabus amicorum turmis (quarũ altera Anthebusia, altera Lagæa uocabatur) continuò se transferre in eam partem clam hostibus præcepit: sagittarijs & Agrianorum parte, ac nonnullis Græcis mercenarijs in dextrum cornu ad se traductis, & in fronte collocatis, ultra Persarum cornu phalangem extendit. Postquam uero ij quos Darius in monte collocauerat, nõ descendisse, perq; Agrianos ac paucos quosdam sagittarios impetu facto in iugũ montis repulsos animaduertit: arbitratus est sese ea manu, quã aduersus illos cõstituerat, ad corroborandã phalangẽ uti posse, ac pro his trecẽtos modo equites ex acie subductos, summitti satis esse. Hoc modo instructos pro tpe milites suos Alexander pedetentim in hostẽ ducebat: ex quo apparebat, facilem uictoriam fore. At Darius neq; Barbaros in hostem agebat, sed uti ab initio in acie locauerat, ita in fluminis ripa præstolabatur. quæ quidem in plerisq; locis prærupta atq; aditu difficilis erat, & sicubi ascensu facilior uidebatur, fossas perduxerat: ex quibus Alexandri milites illũ iam animo captiuum se existimare suspicati sunt.

Anthebusia & Lagæa turmæ.

Postquam

Postquam exercitus propiores facti sunt, Alexander obeundo acies, suos hortari incipit, non duces modo copiarum, cum magno honore uerborum, sed alarum quoq; & turmarum præfectos, nominatim singulos appellans: itemq; exteros & mercenarios milites, quicunq; ob dignitatem aut præclarum aliquod facinus nobilitati essent. Cumq; hæc ageret, ab omnibus succlamatum est, moram tollendam, in hostes ruendum esse. quorum ardore cognito, primo quidem quamuis in hostium conspectu copiæ forent, gradatim tamen ne propter festinationem phalangũ ordo disturbaretur, acies inducit. Postquam intra teli iactum uentum est, primi omnium qui circa se erant, ipseq; Alexander (qui dextrum cornu tuebatur) citato gradu ad flumen irrumpunt. Quorum audacia & strenuitate exterritis hostibus, ubi cominus pugnari cœptum est, parum detrimenti à sagittarijs qui in aduersa ripa constiterant acceptũ: quod Alexander antè prouiderat. protinus enim ut ad manus uentum, qui in sinistro cornu Persarum erant, in fugam conuersi sunt. atq; ab ea parte haud dubie Alexander apparere uictor cœpit. At Græci Darij mercenarij dextrum Macedonum cornu diuisum conspicati (quod euenerat ex eo, quoniam Alexander cũ primis amnem ingressus, Persas in aduersa ripa stantes disiecerat, & qui sequebantur, mediũ circa

Alexandri & Persarum ad flumen cõgressus.

circa amnem ingressi, propter riparum altitudinem nequaquam pari impetu hostes adorti, ordinē seruare non potuerant) quà phalangem Macedonum disiunctam uident, repente impetum faciunt. ibiq; acerrimè pugnatum, Persis adnitentibus Macedonas in flumen repellere, & fugientibus iam suis uictoriā recuperare: Macedonibus manifestam iam Alexandri uictoriam, ac uulgatam de se famam, quod inuicta phalanx esset, tueri conantibus. Ad hæc Alexandri milites inter Græcos ac Macedonas de gloriæ principatu certamen acuebat. In hoc primo congressu Ptolemæus Seleuci cum multa strenue fecisset, & alij ex Macedonibus non obscuri, ad CXX ceciderūt. Inter hæc sinistro Darij cornu in fugā uerso, dextrum Alexandri cornu in mercenarios atq; exteros Darij milites conuersum, magno conatu hostes à flumine repellit: phalangeq; in longum producta, quà maxime Persarum ordines turbati erant, à latere in hostes inuehitur. At Persarū equites qui Thessalis oppositi erant, Thessalorum turmas fortiter inuadunt, fitq; ualidum equestre prælium. nec prius Persæ in fugam inclinare cœperūt, quàm Dariū prælio uictum fugisse, Darijq; mercenarios à Macedonibus cæsos conspexerunt. Tum uero manifesta ab omni parte Persarū fuga: eorundem equi ob id tardiores, quod sessores ferrēt grauiter armatos, passim feriebantur.

Ptolemæus Seleuci occisus.

Equestre prælium.

ferie bantur. quinetiam ipsorum equitum effusa fuga fugientium, haud pauci circa uiarum angustias, dum alter alterum anteire contendit, inuicem obtriti, nonnulli à Thessalis persequentibus cæsi sunt: quapropter haud minor equitum cædes in fuga, quàm pe- ditum fuit. Darius ut primum animaduertit dextrū suorum cornu ab Alexandro dißipatum, inscenso curru cum ijs qui proximi erant, quàm diu per aper tos campos patuit, sese ab insequenti hoste tutatus est. Postquam uero in loca aßperiora ac interrupta peruenit, relicto curru, & in eo † cidari, scuto atq; arcu, conscenso equo celeri fuga inde elapsus, noctis interuentu uim hostium effugit. Alexander capto Darij curru, & in eo cidari atq; armis, ad exercitū se conuerterat. Nec tamen Darium prius insequi cœpit, quam externos mercenarios ac Persarum equitatum, à quibus phalangem disturbatam uiderat, procul à flumine repulsos conspexit. E Persis cecidere Arsaces, Rheomithres, & Atizyes, duces equitatus in pugna quæ ad Granicum amnem commissa est: item Sabaces Aegypti præses, ac Bubaces inter Persas clarus: & præter hos ingens multitudo, ad centena peditum milia cæsa. Ptolemæus Lagi autor est, qui pugnæ interfuit, eos qui Dariū fugientem insequebantur, per strata paßim cæsorū hostiū cadauera sibi transitum quæsiße. Castra quoq; primo impetu

Darii fuga.

Ita Persæ regium capitis uocabant insigne, ut Curtius testatur.

Persarū cædes.

petu capta, in quis mater et uxor Darij, eademq; so-
ror, filius quoq; paruulus, ac duæ filiæ, aliæq; Persa-
rum illustrium uxores captæ nonnullæ sunt. cæteri
namq; Persæ uxores cum impedimentis Damascum
miserant, quò & ipse Darius maiorē pecuniarū par-
tem emiserat, multaq; alia, quæ ad splendorē ac sump-
ptuosos apparatus magni reges portare cōsueuerūt.
quapropter in castris non plus tria milia talenta in-
uentum. Cæterū ea omnis pecunia mox à Parmenio-
ne Damascū misso recepta est. Hic pugnæ exitus fuit,
imperante Athenis Nicostrato. Postridie eius diei A-
lexander quanquā æger aliquantū ex uulnere, quod Alexander uulneratus
in fœmore acceperat, saucios inuisit: cæsorumq; cor-
poribus diligenter conquisitis, ea magnifice sepeliri
iussit, uniuerso exercitu adstante ueluti ad pugnam
instructo: singulos laudibus efferens, quos in prælio
egregiū aliquod facinus patrasse uel uiderat ipse,
uel ab alijs acceperat. pecunias insuper unicuiq; pro
dignitate distribuit. Post hæc Balacro Nicanoris Balacrus
Ciliciæ præposito, qui erat unus è corporis custodi-
bus, Menetem Dionysij in eiusdem locum deligit, Po- Menes.
lyperconte Simæi in Ptolemæi Seleuci locū, qui in
pugna ceciderat, suffecto. Solensibus talenta L
remisit, obsides restituit. At matrem, uxorem,
ac liberos Darij non negligenter habuit. Sunt
qui tradant, ab insequendo Dario reuersum, cum
in

in tabernaculum (quod Darij fuerat) se contulisset, audito non procul inde muliebri eiulatu, quæ nam eæ mulieres essent quæsisse. cum esset responsum à circumstantibus, matrem, uxorem, ac liberos Darij esse, suspicantes Darium mortuum esse, quòd audissent Alexandrum *illius arcum, cidarim, & scutum ex uictoria reportasse: misericordia commotum, confestim* Leonnatū *unum ex amicis ad eas misisse, qui nunciaret* Darium *uiuere, arma autem & cidarim & scutum in curru cū fugeret ab illo relicta. ad hæc, uti regio more ac famulatu, regaliq; corporis cultu uterentur, atq; ut reginæ appellarentur, permittere. non inimicitiarum causa cum* Dario, *sed pro Asiæ imperio, pro gloria decertare.* Et hæc quidem Ptolemæus *atq; Aristobulus. fama etiam tenuit,* Alexandrum *altero die postquam uicit, ad reginas cum uno ex amicis* Hephæstione *introiisse, matremq;* Darij *uter eorum rex esset dubitantem (neq; enim dispar erat corporis habitus)* Hephæstionem, *quod apparêret maior, prius salutasse. cumq; retrocedente* Hephæstione, *quidam ex astantibus* Alexandrum *ostendisset, errore commotā pedem represisse. tum* Alexandrum: Nihil *errasse illam,* Hephæstionem *enim* Alexandrum *esse.* Hæc *ego neq; ut uera scripsi, neq; ut ficta contempsi. sed si uera sunt,* Alexandri *erga reginas indulgentiam, & honorē amico habitum, commen-*

Amiculum causam luctus fuisse scribit Curtius quod Darius ne cul tu proderetur abiecerat.

Hephæstion pro Alexandro salutatus.

commendatione dignum existimo. qui etiam si ficta essent, & rerum ipsarū scriptoribus uerisimilia uiderentur, ob id quoq; Alexandrum laudandum putarem. Darius noctu paucis comitibus fugiebat, interdiu latens quiescebat. Ex Persis ac mercenarijs, quos fuga seruauerat colligens, congregatisq; fermè quatuor milibus, quàm maximis poterat itineribus ad Thaspacum urbem & Euphratem amnem contendebat, ut medius inter se & Alexandrum amnis esset. Inter hæc Amyntas Antiochi, Thymondas Mentoris, Aristomedes Pheræus, ac Bianor Acarnan, transfugæ, cum octo ferè milibus hominum per montana fugientes, Tripolim (quæ in Phœnice est) peruenerunt: ibiq; repertis nauibus, in quibus è Lesbo aduecti fuerant, et ex ijs captis atq; incensis, quæ satis esse ad importandos milites suos uisæ sunt, arrepta fuga in Cyprum abeunt: reliquis nauibus igni consumptis, ne quos nauium copia ad insequendum inuitaret. Ex Cypro autem in Aegyptum nauigant: quo in loco Amyntas cum multa tentasset, ab incolis obtruncatus est. Inter hæc Pharnabazus & Autophradates apud Chium morā fecere: ipsa insula præsidio firmata. aliquot præterea nauibus in Coum & Alicarnassum dimissis, ipsi cum reliquis centum nauibus egregie instructis Siphnum profecti sunt, quò cum triremi unà Agis Lacedæmoniorum rex adue-

Thaspacum. Tripolis. Amyntæ cædes.

nit, pecuniam in bellum petens, atq; uti unà secum aliquot naues, & in his terrestres copiæ in Peloponnesum mitterẽtur. Inter hæc ad eos nuncius affertur, rei ad Isson infeliciter gestæ. Quo nuncio exterriti, Pharnabazus cum triremibus duodecim, & mille quingentis mercenarijs in Chium insulam reuersus est: ne quid forte incolæ ea clade audita innouarent, ueritus. Agis acceptis ab Autrophradate talentis XXX, *triremibus decem, ea confestim per* Hippiā
Agesilaus. *ad Agesilaum fratrem Tænarum mittit: mandatis traditis, uti integro stipẽdio nautis persoluto, quàm primum in Cretam ad res ibidem ordinandas nauiget. Ipse in his insulis aliquantum commoratus, inde Alicarnassum ad Autophradatem abijt. Interim Ale-*
Coele Syria. *xander Cœlæ (quæ Syria est)* Menonem *Cerdimæ præsidem constituit: datisq; ei equitibus è sociorum copijs, qui prouinciæ præsidio essent, ipse in Phœniciam profectus est. Proficiscenti obuiam factus Stra-*
Straton. *ton, Gerostratis regis Aradiorum filius. Gerostrates*
Gerostratus. *autem quemadmodum cæteri Phœnicum ac Cypriorum reges, cum Autophradate pro* Dario *mari rem gerebant. Straton ut primum ad Alexandrum peruenit, aurea corona capiti eius imposita, Aradum insulam &* Marathum *urbem, contra Aradum in continenti sitam, magnam & opulentam, & Mariamnē ciuitatē, & alia quæcunq; ditionis suæ erant, in Ale-*

xandri

xandri fidem potestatemq; tradidit. Cum adhuc Alexander ad Marathum esset, legati à Dario ad eum uenerunt cum Darij literis, orantes uti matrem, uxorem, ac liberos dimitteret. In ea epistola Darius admonebat amicitiæ ac fœderis, quod Philippus pater cum Artaxerxe iunxerat: eamq; societatem prius à Philippo uiolatã, regnante Arse Artaxerxis filio, quem Philippus iniuste lacessisset, nulla de Persis iniuria accepta. Postquàm ipse regnare cœpisset, Alexandrum pro conseruanda ueteri amicitia & societate, quod facere debuerat, neminem ad se misisse. Se bellum suscepisse sui tuendi, & paterni regni conseruandi causa: prælij euentum cum fuisse, quem deorum quispiam uoluit. nunc se Regem, uxorem suam, matremq; ac captiuos à Rege petere: uelle secum amicitiam & societatem iungere: ac pro his agendis orare, ut cum Menisco & Arsima legatis ad se aliquos mitteret, qui fidem in id darent atq; acciperent. Alexander nullo responso legatis dato, Thersippum unà cum his ire ad Darium iubet, qui epistolam à se deferat. Ea epistola his uerbis erat conscripta. Maiores tui nulla ipsi iniuria à Græcis lacessiti, in Macedoniam reliquamq; Græciam olim transgressi, magnis cladibus eam affecere. Ego uero iccirco à Græcis dux creatus sum, uti acceptas iniurias ultum eam: ob eamq; rem in Asiam traieci.

Darii ad Alexandrum literæ.

Alexandri epistola ad Darium.

Perinthij à uobis bello adiuti, qui Philippo patri infesti erant: exercitus in Thraciam, quæ nostri iuris erat, ab Ocho missus. Ad hæc Philippus pater ab his interfectus est, quos pecunia corruptos in cædem eius subornastis. quo tam nefario facinore, uel per epistolas uestras gloriari soletis. Ad hæc Arse Bagoi auxilio à te necato, unde ad te regnum peruenit, neq; iustè, neq; secundum legem Persarũ regnas. Scripsisti ad Græcos de me hostiles literas: eos ad arma contra me capescenda, quantum in te fuit, cohortatus. atq; in eam rem ad Lacedæmonienses, & alios quosdam Græcorum pecunia misisti, quam tamen uni ex omnibus Græcis Lacedæmonij acceperunt: quo facto amicos ac socios meos à me distrahere atq; abalienare conatus es. His de causis aduersus te exercitũ duxi, tecumq; instructa acie pugnaui. Itaq; cum duces tuos primum ac regulos, deinde te exercitumq; tuum prælio uicerim, possessionemq; Asiæ dijs concedentibus adeptus sim: cumq; milites tui, qui ex acie seruati ad fidem meam confugerant, uoluntariè mecũ militent. (quæ res me Asiæ dominum esse declarat) ad me ipse proficiscere. Quod si metuis, mitte è tuis quos uelis, qui fidem à me accipiant, tutam tibi profectionem fore. Ad me profectus, & matrem & uxorem & pueros, & si quid aliud præterea uoles, accipies. Cumq; posthac ad me scribes, ad Asiæ regem

scribere

scribere te memineris: neq; tanquam ad parem, sed tanquam ad rerum tuarum dominum. Sin aliter feceris, ego de te tanquam de eo qui mihi iniuriã faciat, decernã. Quod si de regno contradicis, mane, ac pro eo depugna, neq; fugæ confidas. ego enim quocunq; ieris, tete prosequar. Hæc ad Darium. Postquam autem didicit, omnem pecuniam quam Darius Damascum miserat, Copheni Artabazi commissam, à suis captam, omnesq; Persas, qui eam cum cætera supellectile regia seruabãt, eam Parmenioni Damascũ reportandam & custodiendam tradit. Legatos uero Græcorum, qui ante prælium ad Dariũ accesserant, cũ captos esse cognouisset, ad se mitti iußit. hi erãt, Euthycles Lacedæmonius, Thessaliscus Ismenij, ac Dionysidorus Olympionices, Thebani: Iphicrates Iphicratis Atheniensis, qui dux copiarũ fuerat. quos cum Alexander uidisset, Thessaliscũ quidem ac Dionysidorum statim dimisit: tum miseratione Thebanæ urbis à se dirutæ, tum quòd uenia digni uiderentur, si patria sua per Macedonas in seruitutem redacta, ipsi per Persas & sibi & patriæ consulere conarentur. Priuatim uero Thessaliscum ob maiorũ reuerentiam (erat enim inter Thebanos clarus) dimisit, Dionysidorum propter Olympiorũ uictoriam. Iphicratem urbis Athenarum ac patris gratia, quem magno in honore, quamdiu uixit, apud se habuit: Dionysidorus. Iphicrates.

cuius etiam mortui ossa Athenas reportanda ad suos
Euthycles. *curauit. Euthyclem autem, quòd erat ex urbe sibi manifestò inimica atq; infensa, nec quicquam priuatim in eo norat, quod illum uenia dignum apud se faceret: primo quidem in custodiam (citra uincula tamen) tradidit mox ut res prosperè ire cœperunt, & ipsum quoq; dimisit.* E Maratho deinde mouens,
Byblos. Sidon. Tyrus. *Byblon dedentibus oppidanis recepit. item Sidona, Sidonijs cum odio Darij ac Persarum ultro accersentibus. Tyrum deinde proficiscenti, Tyriorum legati obuiam progreßi, Tyrios omnia facere paratos quæ imperasset, exposuere. Laudatos (erant enim hi ex primoribus ciuitatis: in quis Tyriorum ipsorum regis filius. nam rex Azelmicus cum Autophrodate Persarum duce coniunctis claßibus rem gerebant) reuerti ad urbem iußit, Tyrijsq; renunciare, uelle se urbem intrare, qui Herculi uota persoluat. Erat in ea*
Herculis templum apud Tyrios. *urbe templum Herculis, memoria hominum uetustißimum, celeberrimumq;. non illius quidem Herculis, qui Argiuus fuit, Alcmenæ filius. Multis enim antè seculis Tyri colebatur Hercules, quàm Cadmus è Phœnicia profectus Thebas occupauerit: multoq; antè quàm Semele Cadmi filia eßet nata, ex qua Bac-*
Hercules multi. *chus Iouis filius: Bacchus enim tertius à Cadmo. Polydorus namq; Cadmi filius, Polydori Labdacus, cuius temporibus ipse Bacchus claruit: Hercules uero Ar-*
giuus

giuus Oedipodis Laij temporibus. Colunt & Aegyptij alium Herculem, neq; eundem quem Tyrij & Græci. Sed tradit Herodotus, apud Aegyptios Herculem unum ex duodecim dijs haberi: ficuti ab Atheniensibus, Bacchum Iouis & Proserpinæ filium coli, alium ab hoc Dionysio: & Iacchum mysticam huic Dionysio, non Thebano cantari. Quapropter Herculem illum qui apud Tartesios in Hispania colitur, à quo Columnæ nomen sumpserunt, Tyrium arbitror: eo quòd Tartesus à Tyrijs condita est, temploq; in ea urbe Phœnicum structura ædificato, Herculi sacrum faciunt. Geryonem uero, aduersus quē Hercules Argiuus ab Euristheo missus, ut boues eius abstractas Mycenas duceret, Hecatæus historicus tradit nihil ad Iberiam pertinere, neq; ad insulā ullam Erythiam in Oceano sitam missum fuisse Herculem: sed Geryonis regnum in continenti fuisse, circa Ambraciam & Amphilochos, indeq; Herculem boues abegisse, existimantem non esse hoc facinus inter labores suos contemnendum. Scio etiam his temporibus in ea regione pinguia pascua esse, ibiq; opimas boues pasci. Quapropter abductis inde bobus ab Hercule, gloriam Euristheo accessisse existimant. Nec absurdum præterea uidetur, illius prouinciæ regi Geryoni nomen fuisse: præsertim cum Hispanorum nemo sit, qui id nomen sciat

Bacchi multi

Geryonem non fuisse Iberum.

regibus suis fuisse, aut lætas in ea prouincia boues gigni. nisi quis fortasse ista de Iunone confingat, tanquam per Eurystheum id Herculi mandauerit: et per fabulosa figmenta id credi uelit, quod historiæ fidem derogct. Huic igitur Herculi sacrificare se uelle Alexander dixit. Quæ postquam Tyrijs renunciata sunt, cætera quidem quæ imperaret Alexander, se facturos responderunt: at neminem siue Macedonem siue Persam in urbem admissuros. tanquam ita respondери decreret, & quoad incertum belli exitum, tutum id consilium foret. Cũ hoc decreto missis iterum ad Alexandum legatis, indignatus rex, nullo responso reddito, eos Tyrum reuerti iussit. conuocatisq; amicis & copiarum ducibus, huiuscemodi oratione usus est. Neq; tutum nobis esse uideo in Aegyptum iter, ô amici ac socij, Persis mare obtinentibus: neq; Dariũ persequi, relicta à tergo Tyriorum urbe, incertæ erga nos uoluntatis: itemq; Aegypto ac Cypro, quæ Persis fauent. nam periculosum puto cum propter alia, tum maxime propter Græcos, ne si fortasse Persæ maris imperium iterum sibi uendicent, maritimis oris occupatis, postquam contra Babylonios ac Darium processerimus, ipsi parata maiori classe bellum in Græciam transferant: præsertim cũ Lacedæmonienses nobis iam apertè inimici, pro hostibus arma susceperint: Athenieses autem in hoc re-rum

Alexandri oratio de expugnãda Tyro.

rum statu, metu magis quàm beneuolentia erga nos aut studio quiescant. Quod si Tyrum cœperimus, uniuersa Phœnicia in potestate nostra erit: naualisq; Phœnicum potentia, qua maxima ac ualidißima Persæ utuntur (id quod uerisimile est) ad nos tota transferetur. neq; enim Phœnices, populares suos siue nauales socios siue remiges, urbibus suis in potestatem nostram redactis, pro Persis pugnare patientur. Ad hæc, Cyprus aut sine ui ad partes nostras accedet: aut nobis eò cum classe proficiscentibus, facile expugnabitur. Comparataq; classe ex Macedonia ac Phœnicia accedentibus Cyprijs, maris imperium facile adipiscemur: atq; ita nostra in Aegyptum profectio cũ exercitu nobis & expeditior fuerit, & tutior. Aegypto autem in potestatem nostram redacta, nihil nobis de Græcia & de domesticis rebus suspectum relinquetur: Babylonicamq; expeditionem securitate domi parta, maiori existimatione persequemur: postquam totũ mare & continentem, quæ ad flumen Euphratem pertinet, à Persarum dominatu abstraxerimus. Hæc cũ dixisset, ut Tyrus oppugnaretur persuasit. Mouitq; nõ parum milites, quod in somnis se uidisse rettulit. nãq; ipsa nocte per quietem sibi uisus fuerat ad Tyri muros accedere, & ab ipso Hercule porrigente dexteram in urbem intromitti. Quod Aristander interpretatus ait, futurum Alexandri somnium.

uti caperetur Tyrus. cæterum laborio$am expugnationem fore: quoniã Herculis opera laborio$a e$$ent. Nam magni & difficilis cuiu$dam operis expugnatio Tyri uidebatur. urbs enim præterquàm quòd in in$ula $ita erat, atq; undiq; mari circumfu$a, al-
Tyri $itus. *tis mœnibus muniebatur. Et quoniam oppugnatio maritima erat, id Tyrijs opportunius aliquanto uidebatur, Per$is adhuc imperium maris obtinentibus: præ$ertim cum ip$is quoq; Tyrijs multarum nauium pote$tas e$$et. In tantis tamen difficultatibus fortunam experiri, omnibus placuit. Ante omnia ex continenti ad urbem aggerem perducere in$tituit. Quæ littori proxima, admodum profunda $unt: quodq; interiacet mare, limo$um ac uado$um e$t. At propius urbem, quà altius e$t, tris $ummum cubitos in altit[udi]nem patet. Sed magna erat lapidum copia, m[at]eriæq; , quam lapidibus conge$tis in$ererent. Vallum autem difficulter, utpote in tenaci limo, iaciebatur. lutum quoq; $uapte natura, ueluti compages quædam, lapides interiectos conglutina-*
Tyri expugnatio. *bat. Ad hæc accedebat & Macedonum $tudium, & Alexandri præ$entia, ac $ingula quæq; de$ignantis cura, cum $egniores ad opus uerbis excitaret, $trenuiorum laborem laudibus leuaret. Et $anè quàm diu prope continentem agger perductus e$t, opus haud difficulter procedebat. nam & in p[ar]ua maris [alti]tudine*

altitudine Macedones facile moliebãtur, & qui opus impediret nullus erat. Postquàm uero in profundiora loca peruentum, & appropinquari oppido cœptum est, cum opus facientes ab oppidanis è muro læderentur, quoniam ad opus magis quàm ad pugnam instructi erant: cumq; à Tyrijs diuersis aggeris partibus inuectis ferirentur, plerisq; locis moliendi aggeris potestas erepta est. Quod Macedones conspicati, duas continuo turres ligneas quà agger plurimum in mare processerat, machinis in ijsdem dispositis, excitant. Ad hæc turres corio crudo circumtegunt, ut neq; sagittis ignem inferentibus ex muro incendi possent, & opus facientibus aduersus Tyriorum naues ac sagittarum ictus munimento forent. Quæ cũ Tyrij animaduerterent, talia ipsi è contra machinati sunt. nauem onerariã sarmentis aridis atq; alia huiusmodi materia quàmprimum explent, duobusq; naualibus malis in prora arreptis, quantũ nauis sustinere posset, ex eadem materia circumponunt: faucibus deinde cõpluribus interiectis, omnia pice ac sulfure, cæterisq; incẽdia alentibus affatim oblinunt. ad hæc ab utroq; malo binas antennas per transuersum suspendũt, à quibus ollæ pendebant pice ac sulfure repletæ, quoq; prora suspenderetur altius, imposito onere puppim degrauãt. His cõpositis uento (qui ad aggerẽ impellebat) de industria expectato, nauim

nauim ipsam triremibus alligatam, remulco pertrahunt. Postquam uero operi appropinquauere, igni cōtinuo materiæ iniecto, quanta maxima ui possunt ad extrema aggeris nauim propellunt. haud mora, uis ingens flammæ ruptis antennis, sulfure ac pice late incendia iactantibus, turres ac tabulata comprehendit. Ad hoc malum accedebat, ut non posset quis tuto propter Tyriorum naues aggeri appulsas, ad extinguendū incendium accurrere. Præterea oppidanorum pleriq; turres incensas intuiti, scaphis continuo inscensis in diuersas aggeris partes ferebātur. ualloq;, quod ante aggerē Macedones iecerant, haud magno laborē dissipato, quæ ignis non attigerat opera comburunt. Quibus rebus animaduersis, Alexander cum rursus aggerem extruere deliberasset, milites comportare materiam iubet: quoq; plures turres caperet, latiorem aggerem instituit, machinas igni corruptas reficit. His diligenter præparatis, ipse cū argyraspidum manu & Agrianis Sidonem uersus profectus est: eo consilio, ut ibi quas habebat triremes cogeret. quoniam difficilis expugnatio uidebatur, Tyrijs mari potentibus. Inter hæc Gerostratus Aradiorum, atq; † Erylus Bybliorum reges, certiores facti, urbes in potestate Alexandri esse, deserto Autophrodate (qui rei maxime præerat) ad Alexandrum cum suis ac Sidoniorum classibus profecti

fuerunt.

ſunt. Itaq; ex Phœnicia naues circiter LXXX Alexandro præter ſpem affuere. Per eoſdem dies & à Rhodijs triremes decem, in quis una, quam Peripolũ uocabant, & cum hac aliæ nouem: item ex Solis & Mallis tres, è Lycia decem ad Alexandrum uenere. Ex Macedonia quoq; nauis una remorum quinquaginta, cum Protea Andronici, eius præfecto. Et paulo poſt Cypriorum reges, cũ nauibus centum uiginti Sidonem conuenere, ubi Darium apud Iſſum prælio uictum fugatumq; cognouerunt: Phœniciæ deuictæ fama conterriti. quibus Alexander facile ignouit, quoniam neceßitate magis quàm uoluntate Perſarũ partes ſecuti in bello uidebantur. Interim Alexander dũ operæ reficiuntur, turmæq; nauales exercentur, aſſumptis aliquot equitum turmis, Agrianis præterea ac ſagittarijs atq; ſcutatis, ad Antilibanum montem (quæ regio in Arabia eſt) contendit. eiusq; regionis populis partim ui, partim uoluntate in deditionem receptis, decimo poſtquam diſceſſerat die Sidonẽ rediijt. ubi Alexandrum Polemocratis, adductis mercenariorum militum milibus quatuor, ex Peloponneſo reuerſum reperit. Parata claſſe, cum argyraſpidum manu, quæ ſibi ſatis uiſa eſt ad naualem pugnam, ſi cum hoſtibus dimicandum foret, Tyrum petit. ipſe dextrum cornu, quod in mare longius extenderat, & cum eo Cypriorum ac Phœnicum reges Antilibanus mons.

præter

λαῶν πετε- † *præter Pythagoram,quem cum Cratero læuo cor-*
τέρε. *nu præfecerat,tuebantur.Tyrij prius classe freti,naudi prælio congredi decreuerant. Postquàm uero intuiti sunt tantam nauium multitudinem instructa acie aduentare(nondum enim audierant Phœnicũ ac Cypriorum classes ac Alexandrũ conuenisse)simul aggressus cum apparatu agebatur. nã antequàm ad oppidum applicaretur,naues Alexandri sese in alto continuerunt:tum inde instructæ,cum hostes nõ obuiarent,magno impetu aggrediebantur. quæ cũ Tyrij uiderent,nauali prælio abstinuerunt:coniunctisq; triremibus, portus fauces obsidere constituerunt. Postquàm Alexander nullas Tyriorum naues prodire animaduertit,pro pius urbem accedit. cumq; eum portum qui ad Sidonem uergit desperaret à se capi posse propter angustias faucium,ac Tyriorum naues contrarijs proris oppositas: tres ipsarum in extremo sitas Phœnices adorti,continuo deprimunt. Tyrij,qui inerant,propter urbis propinquitatem nando seruati sunt. Post hæc Alexander haud procul ab aggere iuxta littus,qui locus à ui uentorum tutus uidebatur, classem adigit. Postero die Andromachum*
Andromachus. *Cypriorum nauibus præpositum, quò ad Sidonem uergit,obsidere urbem imperat: Phœnices ultra aggerem locat, ab ea parte quæ Aegyptum respicit, ubi & tabernaculum eius positum erat,& iam collectis*

è Cypro ac Phœnicia fabris compluribus, multæ ma chinæ confectæ erant: quarum aliæ in aggere collocatæ, aliæ onerarijs nauibus quas è Sidone duxerat, nonnullæ triremibus paulo tardioribus impositæ. Perfectis omnibus, continuò ex aggere simulac nauibus, muros urbis quati imperat. Aduersus hæc ma chinamenta Tyrij in suprema murorū parte, contra aggerem ligneas turres excitauerant: ex quibus si q̃ in partem opera applicabantur, iaculis atq; igniferis sagittis appropinquantes terrebant. Erat autem murus urbis ab ea parte, quæ ad aggerem spectabat, pedes circiter CL in altum patens: latitudine aūt, quæ altitudini responderet, ingentibus saxis gypso interlitis. ad hæc Tyrij ingentem lapidū congeriem profundo mari inieceràt, quò hostilium nauium sub muros accessum impedirent. quapropter non erat integrum Alexandro, nauibus oppido appropinquare. Quo cognito, Alexander ante omnia struē demoliendā, lapidesq; è mari extrahendos curauit: quod opus ex nauibus ægrè efficiebatur. Ad hæc Tyrij adductis nauibus aliquot, ad euitandos supernos hostiū ictus cōtectis, triremiū funes quibus ancoræ alligatæ erāt, præcidebant. ex quo fiebat, uti Macedonū naues inhærere ancoris nō possent. Quo uiso Alexander, naues complures XXX remorū circummunit, et iactis ancoris, statuit aduersus Tyriarū nauiū impetū.

Sed

Sed nec sic quoq; obstare potuit Tyriorum artibus. homines enim assueti conchas & alia huiusmodi sub aquis legere profundo mari, improuiso nantes, anchoras præcidebant. Quod cum animaduerteret, ferreas catenas pro funibus anchoris adalligari præcipit: ad hæc lapides uncis comprehensos ex aggere pertrahunt, dissipata strue: atq; in profundiorem partem, ne quid amplius obiectu suo nocere possent, machinis proijciunt. sublatis inde lapidibus, naues haud difficulter muro appellebantur. At Tyrij tantis rerum angustijs oppressi, Cypriorum naues, quæ portum ad Sidonem conuersum obsidebant, adoriri decreuerunt. Multo itaq; antè ex ipso portu uela pandentes, ne hostes consilia sua intelligerent, circiter meridiem (quo tempore & Macedonum nautæ ad necessaria abierant, & Alexander relicta classe à contraria urbis parte in tabernaculum se contulerat) tres quinqueremes, quadriremes totidem, triremes septem, remigibus ac naualibus socijs delectis, qui maxime nauali pugna præstarent: primo quidē singulæ lentè & tacitè, cæteris ex ordine sequentibus, aduersus Cyprias feruntur. Postquam uero appropinquari cœptum, sese inuicem exhortati, cum ingenti clamore ac remorū impulsu hostes inuadunt. Forte fortuna eo die contigit Alexandrum nimis diu solito in tentorio morari, ac citius quàm Tyrij opina[...]entur

Tyriorū urinatores.

rentur ad naues reuerti. interim Tyrij Cyprias naues improuiso adorti, alias uacuas, alias in ipso tumultu raptim ægreq; armatas, Pnytagoræ regis, itemq; Androclei Amathusij ac Pasicratis Thuriei quinqueremes primo impetu mergunt, cæteris in littus repulsis. Quod ubi Alexander accepit, confestim naues (prout quæq; armata erat) portus hostia obsidere iubet, ne cui amplius hostilium nauium egrediendi potestas esset. ipse cum quinqueremibus quas habebat, ac triremibus quinq; urbem circumuectus, aduersus Tyriorũ naues uelociter contendit. Quod qui in muris erant conspicati, cum non possent à suis exaudiri, propter eorum tumultum qui in opere occupati erant, per alia atq; alia signa adesse hostes docebant: qui sero tandem intellecta re, cũ arrepta fuga portum repeterent, paucæ eorum naues Alexandri aduentum præoccupauere. cæteræ ad nauigandum inhabiles redditæ, quinqueremi & item quadriremi una in ipso ore portus captis. Cædes haud magna fuit: propterea quod Tyrij ut naues captas uidere, haud difficulter intra portũ nando euaserunt. Postquam Macedones nullum amplius nauium usum Tyrijs esse cognouerunt, continuo machinas muro admouent: quæ per aggerem tormenta uehebantur, quoniam murus ab ea parte crassior erat, non multũ Tyrijs oberant. Iiq; Macedones, qui ad eam partem

Pnytagoras.

oppidi locati erant, quæ ad Sidonē uersa est, quidā nauibus opera portantes muro admouerunt. Sed cū neq; hāc quoq; res procederent, Alexander omnia machinamenta ad eam urbis partem quæ ad notum spectat, et ad eam quæ uergit ad Aegyptū tentatis omnibus transportari imperat. Et hāc quidem primū murus aliquantum quassatus ac dirutus est. tum continuo iniectis pontibus summo conatu ingressus est: cæterum Macedones à Tyrijs repreßi. Tertio ab hoc die Alexander maris tranquillitate de industria expectata, exhortatis ducibus machinas propius admouet: quibus cum muri parte disiecta, lateq; quassata, naues duas (quibus tormenta uehebantur) retrahi præcipit: duas uero quibus pontes inferebantur, adduci. & alteram quidem earum argyraspides, Admeto duce: alteram Cœni milites habuere. Ipse quacunque sese facultas offerret, cum argyraspidum manu muros scandere paratus, triremes aliquot ad utrunque portum circumferri iubet: si quā forte possent, Tyrijs circa defensionem occupatis, clam oppidum intrare. Naues præterea, quæcunq; aut tormentorū tela, aut tectè sagittarios portabāt, muros circumire, & ubicunq; opportunitas bene gerendæ rei daretur applicari: atq; intra teli iactum, si propius subire non possent, consistere: ut undiq; oppreßi Tyrij, in

tantis

tantis difficultatibus, quò se uerterent, in ambiguo essent. Appulsis muro nauibus, pōtibusq; iniectis, argyraspides, primusq; omniū Admetus, strenue murum transcendunt: nec procul inde Alexander laboris ac discriminis particeps, atq; alienæ uirtutis spectator hortatorq; aberat. Repulsis Tyrijs, simulac Macedones stabili loco pedem figere cœperunt, murus captus est. Admetus dū alios ut inscendant hortatur, lancea traiectus interijt. Potitus muro Alexāder turribusq; interiectis, per ipsum murū uersus regiā (quà facilior in urbē descensus uidebatur) contendit. In hoc rerum successu Phœnices, qui portum ad Aegyptum conuersum obsidebant, reuulsis claustris, hostiles naues aggreßi, alias in ipso portu, alias in terram pulsas deleuerunt: ex altera parte Cyprij per portum ad Sidonem spectantem, nullo monumento septum, inuecti in urbem, & ipsi impetum faciunt. Oppidani simulac murum captum conspexere, eo repente deserto conglobati, & in Agenorium (ita eum locum appellabant) profecti, sese in Macedonas conuerterunt: aduersus quos Alexander cum argyraspidum manu aduolans, alios occidit, alios fugientes insecutus est. Magna etiam cædes ab Cœni militibus è portu urbem ingressis edebatur. Grassabantur enim partim in Tyrios Macedones uictores, indignati longiorē obsidionis morā:

Admeti interitus.

Agenorius locus.

tum quod illi captos paulo antè aliquot è suis, dum è Sidone nauigarent, ut à se spectarentur in murum urbis perductos, crudelißimeq; iugulatos in mare
Tyriorum clades. præcipitauerant. Tyriorũ circiter octo milia interfecta. ex Macedonibus præter Admetum, argyraspides XX. in tota autem obsidione, ad quadringentos cecidere. Tyriorum autem principibus uiris, & Azelmico regi, legatisq; Carthaginensium, qui pro ueteri consuetudine ad sacra Herculi facienda profecti, in eius templũ capta urbe confugerãt, uenia data: cæteros Alexãder pro seruis haberi ac uenũdari iußit. hi ad XXX milia fuere. Post hæc Alexander ob rem bene gestam Herculi uota persoluit, cum exercitu nauibusq; instructis, ludis gymnicis editis: tormentum, quo primũ oppidi murus disiectus fuerat, æternum uictoriæ suæ monumentum, nauimq; Tyriam Herculi consecratam, quam prælio nauali ceperat, in templo suspensa condidit. Titulum inscriptũ siue ipse, siue alius quispiam fecerit, quoniam mihi haud uisus est memoratu dignus, indignum existimaui
Tyrus quando capta. quem huic operi insererem. Capta est autem Tyrus, Aniceto Athenis summum magistratum obtinente. Interim dum Tyrus obsidebatur, legati à Dario ad Alexandrum uenere, nunciantes Darium decem milia talentum polliceri, si matrem, uxorem ac liberos d. mitteret: ac præter eam pecuniam, quicquid terra-

rum inter Euphratem & Hellespontũ iacet. ad hæc, si filiam in matrimonium duceret, sibi amicum ac socium fore. Quæ cum ad amicorum consilium Alexander retulisset, sententijs eorũ exquisitis. Parmenionem dixisse ferunt: Se quidem, si Alexander esset, conditionem non aspernaturum: neq; amplius, cum finis belli adesset, discrimina belli subiturum. Alexandrũ uero respondisse: Et se quidem accepturum ea fuisse, quæ offerrētur, si Parmeniõ esset: se, qui Alexander esset, æquum esse Alexandro digna præstare. Itaq; respondit legatis: Se neq; Darij pecunia egere, neq; partem eius prouinciæ uelle accipere, quæ tota sua esset. esse enim suum, & argentum, & omnem terrarum tractum, quem sibi ille pollicer etur. filiam eius si uxorem habere cuperet, id etiam non concedente Dario sibi integrum esse. ueniret igitur ad se Darius, si quid sibi concedi exoptaret. Quæ postquàm à legatis Dario sunt renunciata, desperata pace, rursus in bellum incubuit. Postquàm Alexander in Aegyptum cum exercitu proficisci instituit, & cætera quidem Syriæ, illius quæ Palæstina appellatur, oppida absq; ui in eius fidem uenere, præter Gazã: retinente Bate eunucho urbis præfecto, qui id ueritus, multo ante Arabas mercenarios præsidio impo-suerat, annona cæterisq; ad diuturnam obsidionem necessarijs cum cura præparatis, fretus maxime naturali Idem valer. Max. in 6.

turali urbis munimento, Alexandrũ uenientē nō recipere decreuerat. Abest autē Gaza à mari non plus

Gazæ urbis situs.

XX stadijs, accessu q̃uidē propter arenæ altitudinē difficillimo. Ad hæc mare urbi propinquum, passim uadosum: ipsa urbs ampla, in tumulo sita, ualidoq; muro circundata: euntibus ex Phœnicia in Aegyptũ ultima quæ incoleretur, uastæ solitudini proxima. Quò postq̃ Alexāder peruenit, castris sub urbē positis, quà murus sibi maxime expugnabilis uisus est, tormēta cōportari iubet. Et quamuis essēt qui censerēt, eam urbē propter aggeris altitudinē ui capi non posse: ipse tamē aliter sentire se aiebat. tanto illā facilius expugnari posse, quāto minor eius expugnādæ facultas appareret: opus ipsũ, facti audacia ingentē hostibus admirationē ac stuporē allaturũ. Quod si ea urbs à se capi non posset, tam apud Græcos q̃ apud hostes de existimatione sua nō parũ detracturũ. Imprimis igitur perducendum aggerem, urbemq; circumuallandam censuit, uti opera ex æquo muris applicari possent: quaq; ad austrum spectabat, quoniā murus expugnatu facilior uidebatur, aggerem extrui imperauit. qui postquàm in idoneam altitudinē excreuisse uisus est, continuo tormenta mœnibus admota sunt. Inter hæc Alexandro corona capiti imposita sacrificanti, cum pro ritu sacrificij libasset, auis quædam ex eo genere quæ prædæ assue[illegible] aram

Gazæ expugnatio.

prætervolans, cũ lapis quem forte unguibus ferebat excidisset, caput eius percußit. Quod prodigium Alexander haudquaquã negligendũ ratus, cũ Aristandrũ consuluisset, responsum quidẽ fore, uti urbs à se caperetur: cæterũ quod immineret periculũ, cavendum esse. quo audito, sese intra teli iactũ continebat. Cæterũ ut uidit Arabes eruptione facta in opera ignẽ inferre, ac supernè pugnantes Macedonas loco inferiores facile ferire, iamq; propemodũ ex aggere deturbare: siue uatis monita negligeret, siue periculo suorũ motus uaticinij oblitus foret, assumpta argyraspidum manu, quà maxime Macedones premebantur, auxilio accurrit: eosq; ne turpi fuga aggerẽ atq; opera destituerent, præsentia sua continuit. Dũ properat, scuto ac thorace catapulta traiecto, in humero uulnus accepit. cumq; Aristandri uaticinium de periculo uerũ esse cõprobasset, quanquã uulnere affectus tamẽ lætatus est, quod & illud euenturũ putauit, uti urbs à se expugnaretur. Interim alia tormenta mari ad se conuehi iubet: ea uidelicet, quibuscum Tyrum paulo ante expugnauerat: aggeremq; circa urbem perduci duum stadiorum longitudine, altitudine uero centum quinquaginta pedum. Tormentis in aggere dispositis, murus quassari cœpit: suffossisq; cuniculis terra clàm egesta, ne ab hostibus uiderentur, murus pluribus in locis euertebatur, subsi-

Prodigium.

ſubſidebatq́ propter exinanitiones ſubterraneas. Macedonesq́ iaculis oppidanos è turribus propugnantes repellebant. & oppidani quidem ter Macedonum impetum ſuſtinuerunt, pleriſq́ ſuorum interfectis ac saucijs. At cum poſtea Alexander phalange undiq́ admota, alibi murum ſuffoſſum euerteret, alibi tormentis quateret, ita ut non difficile Macedonibus uideretur, admotis ſcalis urbem intrare: animis deficere cœperunt. Iamq́ ſcalæ muro paßim applicabantur. cumq́ inter Macedonas gloriæ auidos certamen eſſet, quis eorum primus ſcanderet: Neoptolemus ex Aecidarũ gente præclara, unus ex amicorum numero, ſcandendi initium fecit. Poſt hũc alij atq́ alij, tranſgreßis in urbem compluribus, portisq́ alibi atq́ alibi diſtractis, uniuerſus exercitus in urbem irruit. Nec tamen in tanto caſu Gazenſes priſtinæ uirtutis memores, pugnare deſtiterunt. quin etiam periculis ſeſe offerentes, uim repellere conabantur. Iiq́ omnes (tantus fuit animorum ardor) in eo quo ſteterant loco pugnando uitam amiſere. Quorum poſtea uxoribus ac liberis ſeruituti mancipatis, atq́ in urbem finitimis inductis, Alexander eo oppido deim, tanquam belli arce, in eam expeditionem uſus eſt.

Neoptolemi uirtus.

ARRIANI NICOMEDENSIS de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum, Liber Tertius.



LEXANDER *inde in Aegyptum profectus, quò prius iter intenderat, septimo die, ex quo à Gaza mouit, Pelusium peruenit: naualibus copijs è Phoenicia in Aegyptum nauigantibus: ubi naues ad Pelusium stantes repperit. Inter haec Mazares Persa Aegypti praeses, cum de Darij apud Isson clade ac turpi fuga accepisset: praeterea, Phoeniciam ac Syriam ac pleraque Arabiae oppida in potestatē Alexandri uenisse: neque eas copias haberet, quibus se tueretur: Alexandrum in ea prouincia, atque in his urbibus amicè recipi iussit. Alexander itaque sine certamine Pelusium ingressus, praesidium imposuit: naualibusque copijs flumine subuehi Memphim iussis, ipse Heliopolim uersus contendit. Eunti ab dextra Nilus erat, dedentibus se incolis, per quos iter faciebat. Per deserta Heliopolim, inde uadato flumine Memphim peruenit: ubi tum caeteris dijs, tum praecipue Apidi sacrificauit, gymnicis ac musicis ludis editis. Sub idem tempus magistri certaminum Graeci, qui caeteris gloria praestabant,*

ad eum uenere. Ex Memphi deinde secundo flumine deuectus, ad mare descendit: & cum eo nauibus impositi argyraspides, Agriani, sagittarij, & amicorũ turma, quæ regia appellabatur. Deinde Canopum profectus, ac Mareotida paludem circumuectus, cò se contulit, ubi nunc Alexandria sita est. Eius loci situs, ei maxime opportunus condendæ urbi uisus est: futuram illam opulentam, quæ ibi conderetur, animo præsagiens. Huius præclari operis desiderio incensus, designare urbem cœpit: ubi forum ædificandum, ubi templa extruenda, quot ue, & quibus dijs Græcis, ac præter deos Græcos Isidi Aegyptiæ: postremo, quà murus circũducendus esset. Sacrificanti exta prosperos rei euentus portenderunt. Fama etiã tenuit, idq; non incredibile uidetur: cum uellet Alexander urbem designare, nec haberet qui cum terra describeretur, quà sulcus ducendus esset, monitum à quodam fabro, mœnium ambitum † farina inspersisse. Hanc urbem uates, & imprimis Aristandrum Telmiseum, qui multa alia uera Alexandro prædixisset, contemplato situ dixisse ferunt: tum cæteris rebus, tum frugum copia fœlicem fore. Dum hæc aguntur, Aegylochus ex Aegypto reuersus, Alexandro nunciat, Tenedenses ad se Persis desciuisse, quibus coacti paruerant. Chios quoq; ab eorum dominatu se uindicasse, quos Pharnabazus & Autophra-

Alexandria ab Alexãdro cõdita, de quo & Curtius in 4. & Plutar.

Curtius polẽtam uocat.

Aristãder nõ Telmiseus, sed Miletensis fuit Plutarcho.

ἠγίλοχος.

dates, præsidio reliquerant. Quin & ipsum Pharnabazum comprehensum, atq; in custodiã traditũ. Aristonicũ quoq; tyrannũ Lesbiũ captũ, cũ in portum Chij cum nauibus quinq; piraticis se recepisset, ignarus à quibus portus teneretur: eam classem, quæ claustra portus obsidebat, Pharnabazi esse existimantẽ. piratas omnes ad internitionẽ cæsos: adducere se Aristonicũ, & Apollonidẽ Chiũ, Physinumq;, & Megareũ, ac reliquos qui defectioni ad Persas autores, Chiorum res pro libidine agitabant. Ad hæc, Chareti Mitylenas, quas in potestate habebat, ereptas esse. cætera Lesbiorum oppida, sua uoluntate in deditionẽ uenisse. Amphoterũ à Cois accersitũ, cum LX nauibus eò profectum. seq; dũ in Aegyptũ nauigat, insulã ipsam in Amphoteri potestate iã esse, certiorẽ factũ. captiuos omnes ad se adduci, præter Pharnabazũ: qui unus deceptis custodibus clam fugisset. Alexãder his lætus, tyrannos remisit: Chios cum Apollonide in Elephantinam urbẽ duci, ibiq; asseruari præcepit. Post hæc Alexandrũ desideriũ cœpit adeundi Ammonis Lybici, eius oracula deposcendi, quæ certa esse peruulgatũ erat. sed uel maxime, quoniam Perseus atq; Hercules ipsum deũ cõsulturi adiisse ferebãtur: Perseus, quo tẽpore aduersus Gorgona à Polydecte: Hercules, cũ in Lybiã contra Anteũ, in Aegyptum contra Busyridem proficisci ab Eurystheo iussus est. Ammonis oraculum.

Erat

Erat Alexandro æmulatio quædam cum utroq;, de bonore & gloria, cum ex eadem stirpe esse se uellet. nam & ipse originē suam in Iouem referebat: quemadmodum poëtarum fabulæ, Persei atq; Herculis Iouem ipsum patrem finxere. Hoc itaq; consilio ad Ammonem proficiscebatur, tanquam originis suæ certior futurus. Iter faciens ad Parætonium usq; secus mare, per deserta Lybiæ, ad mille sexcenta stadia non omnino inaquosa, ut Aristobulus ait, profectus est. Inde à mari recedens, ad † Messogabam oppidū, ubi erat Ammonis templum, se conuertit. Est autem ea omnis regio inculta, ac deserta, alto sabulo pleraq; omnia operiente: & in primis aquarum inops. Cumq; proficiscente eo largus imber cœlitus effusus esset, ad diuinam eius originem relatum est. Et hoc quoq; non minus. solet namq; auster, cum loca illa perflat, arenas undiq; concitas circumferre, atq; omnia uiarum uestigia delere: nec secus atq; in uasto pelago iter facientibus, errorē inducere. Neq; enim signa ulla extant: non mons, non tumulus, nulla deniq; arbor, ex quibus proficiscentes, ueluti nautæ ex siderum annotatione, coniectare iter poßint. Itaq; uento obrutis arenarum mole, uiarumq; uestigijs, errabat exercitus: ducesq; ipsi itineris incerti erant. Dum ita laborarent, dracones duos ante agmen ire conspectos Ptolemæus scribit, quos uelut duces iti-

Alexandri ad Ammonem profectio.

μεσόγαιαν.

[illegible]eris

neris sequerentur: atq; ut diuinitus missos crederent, Alexander iussit: ab ijs iter ad amnem demonstratū esse, idemq; ab ijsdem in reditu factum. Aristobulus uero, cui plures assentiunt, scribit coruos duos ante exercitū uolitantes ire uisos, sese itineris duces praebuisse. Ego uero affirmare ausim, aliquid diuinitus Alexandro apparuisse. est enim uerisimile ita contigisse regi, ad summam gloriā nato. Asseuerare autē quo nam potißimū modo diuinitus adiutus sit, propter eorum qui ista scripsere discrepantiam non posssum. Locus in quo Ammonis templum situm est, uastas undiq; solitudines habet. interiacēt arenae, aquarum mira inopia, ager in medio arenarum exiguus: quippe ubi latior ad quadraginta maxime stadia extenditur, olearum palmarumq;, ac caeterarum cultarum arborum ferax, rosidus solus ex omnibus circumiectis. Ex eo fons manat, caeteris omnibus fontibus natura dißimilis. sub lucem tepentibus aquis manat, in meridie frigidus, uespere calet, media nocte feruidior: postea deinde deferuescere incipit, ac sub exortum diei rursum tepidus oritur. atq; ita per singulos dies ac noctes, aestus ac frigoris uices uariat. Gignit autem id solum suapte natura salem, quo plenas palma contextas cistulas templi sacerdotes regibus muneri in Aegyptum ferre consueuerunt. ingentia frusta effodiunt, & quidem crystallo simillima.

De coruis Curtius quoque in 4. & Plutarch. in Alexan.

Ammonis templi situs.

Fons Ammonis mirabilis, de quo Augustinus de Ciuitate dei.

Hoc

Hoc genere salis utuntur in sacris Aegyptij, aliaeq; gentes, quibus diuini cultus cura est: utpote marino salo puriore. Alexander loci naturam admiratus, ueneratusq;, oraculum adijt. acceptoq; responso, sibi (quemadmodum ipse dictabat) grato: Aristobulo autore, eadem qua uenerat uia Aegyptum repetit. Ptolemaeus autem scribit, eum alio quodam rectiore itinere, quo ad Memphim itur, reuersum esse: eoq; loci multas ad eum legiones ex Graecia uenisse: nec quenquam eorum, quae à se postularentur, uacuum remisisse. Praeterea ad eum accessere milites ab Antipatro mercenarij, Graeci circiter quadringenti: quis praeerat Menaetas Hegesandri. ex Thracia propè quingenti, quibus Asclepiodorus Eunici praeerat. Tum sacris Ioui regi perfectis, cum exercitu armis instructo consuetos ludos celebrauit. Deinde ad res Aegypti ordinandas conuersus, duos ibidem praesides constituit, Doloaspim ac Petisim. Inter quos cum totam Aegypti regionẽ diuideret, Petise partem respuente, totam Doloaspidi concessit. Praesidij principes ex amicis constituit: in Memphi Pantaleonem Pydnaeũ, Pelusij Polemonem Megaclei Pellaeum. Exteris militibus Lycidam Aetolũ praeesse uoluit: scribam, Eugnostum Xenophanti, unum ex amicorum numero: ijsq; praefecit Aeschylum, & Ephippum Chalcedonem. Lybiae finitimae, Apollonium Charinij: Arabiae, quae

quæ est ad urbem Heroum, Cleomenem Ecnaucratium præposuit, mandatis traditis, uti eius prouinciæ principes suis legibus uti, ac liberos esse permitteret, tributa modo exposceret. Duces copiarum, quas in Aegypto reliquerat, Peucestiam Marcatati, & Balacron Amyntæ, statuit. Polemonem Therameni, claßi præfecit: atq; in Balacri locum, qui erat unus è corporis custodibus, Leonnatum Onati suffecit. pro Annuba & Antiocho sagittariorum præfectis, qui mortem obierant, Ombrionem Cretensem sagittarijs præesse uoluit. Fœderatorum peditibus, quorum Balacrus ductor erat, cum esset illos in Aegypto relicturus, Calanum ducem dedit. Diuisisse autem Aegyptum in plures duces fertur, ideo quod naturā regionis & munimenta admiranti sibi haud satis tutum uideretur, tantæ prouinciæ gubernacula uni committere. Romani quoq; mihi uidentur Alexandri exemplum in tuenda Aegypto secuti, neminem Senatorij ordinis, sed equestris, pro consule eò mittere. Subeunte uere Alexander in Phœniciā iter ingressus, Nilo, eiusq; flumini foßis apud Memphim ponte coniunctis, Tyrum profectus, ibi classem repperit, Herculi uero sacrificium rursus ac ludos egit. Inter hæc ex Athenis legati Diophantus et Achilles accesserūt, & cū his à Paralis legati (hi sunt Atheniensis oræ incolæ) quibus, quæ petiere, facilè concesßit. Romanorum mos ab Alexandro. Parali

Atheni-

Atheniensibus, qui ad Granicum ex suis capti fuerant, gratis remissi sunt. Cumq; ei renunciatũ esset, res in Peloponneso perturbari, Amphoterũ Peloponnensibus auxilio mittere decreuit, iis qui constantes in Cello Persico Lacedæmonibus aduersi erant. Phoenices & Cyprios centũ naues, præter eas quas habebant, parare iussit. Amphoteroq; duce classis Peloponnesum petituræ designato, ipse interiora petens, ad Thapsacum ac flumen Euphratem proficiscebatur. Et in Phoenicia quidem † Copanum quæstorem, in Asia Taurum Philoxenũ constituit. Pecuniarum quas penes se habebat, Harpalo Machatæ paulo ante ab exilio reuerso, & illorum in locum suffecto custodiam mandauit. Hic ipse Harpalus propter suam in Alexandrum fidem, Philippo adhuc regnante è Macedonia fugerat: & secũ eadem de causa Ptolemæus Lagi, Nearchus Androtini, Eregyus Larichi, ac Laomedon eius frater. Erat enim suspectus Philippo Alexander postq̃ Olympiade Alexandri matre dimissa, Eurydicen cepit uxorem. Mortuo aũt Philippo, hi ab exilio reuersi sunt. Ex his, qui sua causa exiliũ subierant, inter corporis custodes Ptolemæum Lagi rettulit: Harpalũ, quòd corpore imbecillo ad res bellicas minus aptus uideretur, thesauris præfecit: Eregyum equitatus sociorum ducem, ac Laomedontem eius fratrem, quoniam duarum linguarũ peritus erat, quantum

κοίρανον
Βεῤῥοιαῖον.

tum ad literas barbaras attinet, captiuis barbaris: Nearchum Lyciæ, ac toti regioni finitimæ, ad Taurum montem præposuit. Pauloante prælium, quod ad Isson commissum est, Harpalus persuasus à Taurisco, homine improbo, cum illo fugerat. & Tauriscus quidem in Italiam ad Alexandrum Epirotam profectus, ibi uitam finijt. Harpalus autem cum Megaris substitisset, persuasus ab Alexandro, uti ad se reuerteretur, accepta fide, fugam sibi haud fraudi fore, ad eum redijt: nec solum illi ignouit Alexander, sed etiam quæstorem instituit. In Lydiam Menandrum, unum ex amicis, misit: Clearcho externis militibus, quorum Menander ductor erat, præposito. In Arimmæ locum, Asclepiodorum Eunici Syriæ præfecit: ideo quod Arimma sibi uisus esset, in præparãdis necessarijs exercitui, interiores Aegypti partes petenti, superbe se ac pro rege gessisse. Peruenit autem Alexander ad Thapsacum, Aristophane Athenis rempub. administrante: ubi duobus pontibus iunctũ nadum repperit. namq; Mazæus, cui Darius amnis tutelam mandauerat, cum tribus ferè milibus equitum, in quîs duo milia mercenariorum, transitum obsidebat. Cumq; pons ad ulteriorem ripam non pertingeret, nonnihil ueriti sunt Macedones, ne qui cum Mazæo trans flumen erant, suppleto ponte in se impetũ facerent. Cæterum Mazæus, ut sensit Alexandrum

h his

his locis appropinquare, arrepta protinus fuga, cum omni præsidio inde abit. Quo digresso, confestim pontibus suppletis, & in ulteriorem ripam expositis, omnis exercitus sine periculo ab Alexandro flumen traductus est. Inde interiora Mesopotamiæ petens, progrediebatur. Ab læua flumen Euphrates, atq; Armeniæ montes erant: atq; ideo haud procul à flumine, non quà Babylonem iter est, quamuis ea uia esset rectior, exercitum agebat. quoniam hac maior & pabuli, & rerum necessariarum copia suppetebat, & minus æstus gradientes fatigabat. Proficiscēs, ex quibusdā de exercitu Darij speculatoribus in itinere captis cognouit, Darium ad Tigrim amnem cū exercitu consedisse, uti eum transitu prohiberet, multoq; maiores copias habere, quàm superiore prælio in Cilicia habuisset. quibus auditis, celeriter mouēs, ad Tigrim contendit. Sed neq; Darium nactus est, neq; præsidium, quod Darius ibidem reliquerat. itaque amnem difficulter quidem, propter cursus rapiditatem, cæterum nemine prohibente, uado reperto traiecit: fessoq; ex itinere exercitui aliquantum quietis dedit. Fuit autem per eos dies ingens lunæ defectio. quapropter Alexander Lunæ ac Soli, & item Telluri, à quibus eclipsim generari ferunt, sacrificium instituit. Quam quidem rem Aristander con-

Lunæ defectus.

tem-

templatus Macedonibus atq; Alexandro prosperam fore, eoq; mense cum Dario pugnandum, extaq; victoriam Alexandro promittere asseuerauit. Digressus inde Alexander, per Assyriam ducebat, à sinistra habens Sogdianorum montes, ab dextra Tigrim. Quarto post transitum die, exploratores, quos præmiserat, renunciant apparere in campis equites: quantus autem eorum numerus esset, non potuisse comprehendi. Procedenti deinde cum instructo exercitu, tanquam ubiq; pugnaturo, alij quidam speculatores ulterius progreßi, non plus mille equites à se uisos affirmabant. Quo audito, confestim assumpta turma regia apparata, & altera quam amicorum uocitabant, & antecursoribus Pæonibus, eò aduolat, reliquis copijs moderatius sequi iußis. Quod cum Persarum equites animaduerterent, illico citatis equis fugam arripiunt. Quos insecutus Alexander, quosdam, quos equi in fuga defecerunt, occidit: cæteri incolumes euasere. Ex captiuis cognouit, Darium cum ingentibus copijs haud procul inde abesse. Aderant Dario Indi, Bactrianis finitimi: ipsiq; Bactriani, ac Sogdiani, quorum omnium Bessus dux erat, Bactrianorum satrapes. Hos sequebantur Sacæ, ex Scythis oriundi, ijs qui Asiam incolunt. nec tamen hi sub imperio Beßi erãt, sed propter societatem, quæ sibi cũ Dario

παρώκης. erat, cum Besso accesserant. Eos ducebat Mabaces. atq; hic omnis equitatus arcubus in prælio utebatur. Barsaëtes Arachotum satrapes, Arachotos, & montanos Indos: Satibazanes Ariorum præses † Arrianos ducebat. Parthos, Hyrcanos, ac Topirios, qui omnes equites erant, Phratafernes agebat. Medorũ Atrocates dux erat: cũ Medis Cadusij, Albani, & Sacesinæ iuncti erant. Rubri maris accolæ † Orundobati, Ariobarzani, atq; Oxini ducibus parebant. Vxios, ac Susianos, Oxanthes: Bupares Babylonios agebat. Anaspasticares, ac Sittacini cum Babylonijs coordinati erant. Orontes & Mithraušta Armenijs, Cappadocibus Ariaces præerat. Syros, tam Cœlesyriam incolentes, quàm ex omni reliqua Syria, quæ inter duo flumina sita est, Mazæus regebat. Totius autem exercitus Darij numerus esse ferebatur, equitum XL. peditum ad decies centena milia. ad hæc currus falcati CC. elephanti XV. iiq; ex ea parte Indiæ, quæ cis Indum flumen sita est. Cum his copijs Darius in Gaugamelis ad Bumadum amnem castra fecerat. Aberat autẽ ab Arbelis ad sexcenta maxime stadia, plano undiq; & patenti campo. omnia nanq; circumiecta Persæ æquauerant: ut esset is locus & curribus agendis, & equitatu habilis. Erant autem qui Darium monerent, se propter locorũ angustias ad Issum superatum esse: idq; Darius facile credidit.

Margin notes: ἀρείους. — Condobabæ

quæ

quæ postquàm Alexander ex speculatoribus Persarũ captis didicit, in eo loco ubi ea nunciata sunt, uallo ac fossa communitis, quatriduũ sibi ad exercitus quietẽ sumpsit. Deinde statuit, sarcinis & inutiliore milite in castris relictis, ipse cum bellicosis, nihil præter arma portantibus, prælio decernere. Noctu itaq; copijs eductis, circa secundam uigiliam mouit: eo consilio, ut in ortu lucis hostem inuaderet. at postquàm Dario nunciatum est, Alexandrum aduentare, confestim exercitum ueluti mox pugnaturus in aciem instruit. Idem Alexander facit. Distabant castra à castris, LX fermè stadijs. Alexander ubi in hostium conspectum uenit, phalanges iubet subsistere. conuocatisq; amicis, ac ducibus exercitus, turmarum præfectis, sociorum & item mercenariorum ducibus, consultatũ, num continuo ex eo loco (id quod plures suadebant) phalanx agenda in hostem esset: an, quod Parmenio censebat, castris positis perscrutandum, num insidiæ subessent, num exitus paterent, num fossæ contectæ, aut claui ab hostibus humi obruti uspiam laterent, nũ etiã ordines hostium certius agnoscendi. Cumq; in Parmenionis sententiã itum esset, castra ibidem posita, instructis copijs non secus, atq; si continuo dimicandum foret. Deinde Alexander assumptis leuis armaturæ militibus, et equitatu amicorum, cum locũ in quo erat pugnaturus, in circuitu

Alexandri ad milites oratio.

lustrat. Reuersusq́; , conuocatis denuo copiarum
» atq; ordinum ducibus: Non oportere, inquit, illos
» cuiuspiam oratione ad pugnam accendi: satis horta-
» tos iam diu esse per eorum uirtutem, & egregia fa-
» cinora sæpenumero edita: id modo rogare, uti unus
» quisq; eorum ordines sibi commissos cohortetur
» atq; admoneat, quanta huius pugnæ præmia futura
» sint. Non iam Cœlesyriam, Phœniciam, aut Aegy-
» ptum, ut prioribus prælijs: sed uniuersam Asiam,
» uictoriæ precium fore. Appariturum facile uno cer-
» tamine, utros in Asia regnare necesse sit. Non op-
» portere illos multis uerbis ad decora & gloriosa
» opera excitari, cum per se satis ipsi excitati incen-
» siq; uideantur: sed tantum, ut unicuiq; curæ sit, in
» pugna quid se deceat animaduertere. Silentio uten
» dum, quando silentio opus sit: rursus clamore uten-
» dum, cum clamare oporteat. Ad hæc, uti celeriter, ubi
» opus sit, mandata sua excipiant, excepta in ordines
» transmittant. tum ut sibi quisq; apud animum pro-
» ponat, quemadmodum ducum negligentia res in di-
» scrimen adduci solent, ita adhibita diligentia seruari
» consuesse. Simul monet, ut in eam partem, quam uel
» à suis neglectam aut desertam, uel in qua multos de-
» fessos pugnando uiderint, continuo subsidia submit-
tant. His atq; huiusmodi uerbis exhortatis confirma
tisq; ducibus, fretus eorum uirtute, milites eorũ cor-

[illegible]ora

pora curare, atq; indulgere quieti iubet. Ea nocte, quæ secuta est, Parmenio ad cũ in tabernaculũ profectus, admonuisse fertur, uti per noctem inopinantes hostes inuaderet: quod nox terrorem allatura esset. Cui Alexander clarè, ut à circunstantibus audiretur: Victoriam furari turpe esse, manifestò ac sine dolo uincendum. Atq; hæc magnifica eius uox, non arrogantiæ, sed fiduciæ esse æstimata est. Is autẽ mihi uidetur sapientissima ratione hac in re usus. multa etenim solent per noctem contingere, ex quibus interdum efficitur, uti fortiores succumbant, imbecilliores præter spem uictoriam adipiscantur. Ipsi quoq; Alexandro in prælijs nox periculosa uidebatur: simul uerebatur, si Darius à se iterum uinceretur, ne nocturnus ille congressus Dario necessitatem confitendi auferret, se & minus peritum ducem, & minus strenuos bello milites habuisse. Ad hæc, si quid aduersi sibi præter rationem accidisset, hostibus quidem omnia loca circumiecta amica, sibi uero inimica & infesta fore: illos omnis regionis peritos, se ignaros esse. Cumq; non paruus esset in castris captiuorum numerus, fore uti ab his per noctem inuaderentur: non solum si in pugna succumberent, sed etiam si non strenuè uicisse uiderentur. Ob hæc igitur atque huiusmodi, nec minus de sui fiducia,

Victoriã furari turpe.

qua ad aperte pugnandum adductus est, Alexandrū laudandum puto. At Darij exercitus, conspecto Alexandro, quoniam castra sibi parum munita uidebantur: simul quod metuebat, ne ab hoste peteretur: totā noctem instructa acie insomnem egit. Et sane si quid Persis maxime obfuit, mora illa in armis longior & metus fuit, qui ante magna pericula mortalium animos subire solet: ille quidem nō repente exortus, sed multo ante meditatus. Instruxerat autem hoc modo exercitum Darius. nam post pugnam (Aristobulo autore) inuenti sunt libelli, in quis ordo eius descriptus fuerat. Sinistrū cornu Bactriani equites tenebant, et cum his Dae, & Arachoti. post hos Persae equites, ac pedites commixti. Proximi erant Susij: Susios Cadusij sequebantur. Et hic quidem sinistri cornu ordo erat. Dextrum autem Coelesyrij, ac Syrij, qui inter duo flumina incolunt, tuebantur. his Medi adiuncti erant: deinde Parthi, ac Sacae: secundū hos Topyri, atq; Hyrcani: his proximi Albani, ac Sacesinae: & hi usq; ad mediam phalangem pertinebant: mediam aciem ipse Darius, regisq; consanguinei regebant, & in ea locati Persae Melophori, Indi, & Cares Anaspasti, ac Mardae sagittarij. Vxij uero, & Babylonij, & maris rubri accolae, ac praeter hos Sittacini post primam aciem constituti erant. In sinistro uero cornu, contra dextrum Alexandri cornu, ante alios locati erant

Darii acies.

erant equites Scythæ ac Bactriani circiter mille, ac currus falcati centum. Elephanti circa alam regiam, & currus ad quinquaginta. In dextro autem cornu Armenij equites, & Cappadoces, currusq́; falcati quinquaginta ante acies stabant. Græci uero mercenarij Dario proximi erant, & cũ his Persæ, regem medium tuentes, phalangi Macedonum oppositi, tanquam ipsi soli Macedonicam phalangem uirtute exæquarent. Alexander autem ita suos instruxit. Dextrum cornu tuebantur equites ex amicis. ante hos ala regia, cui Clitus Dropidi præerat. Huic adiuncta erat Glaucij, deinde Aristonis turma, deinde Sopolidis Hermodori: post hanc Heracliti Antiochi, proxima huic Demetrij Althemenis: hanc sequebatur turma Meleagri. ultima uero regiarum, cui Egelochus Hippostrati præerat. totius autem equitatus amicorum Philotas Parmenionis princeps erat. Phalangis uero Macedonicæ, quæ equitibus coniuncta erat, prima acies argyraspidum fuit, quorum Nicanor Parmenionis dux erat: secundũ hos Cœni Polemocratis ordinem statuit: deinde Perdiccæ Orontis. huc accedebat ordo Meleagri Neoptolemi, deinde Polypercontis Simmiæ, postremo Amyntæ Philippi: hunc regebat Simmias, ex eo quod Amyntas in Macedoniam ad delectus habendos missus fuerat. Sinistram phalangis partem Macedonũ Crateri Alexandri

Alexandri ordo in acie instruenda.

dri ordo tuebatur, qui læuo peditum cornu præerat. adiuncti erant fœderatorum equites, quis Erigyus Larichi præerat. hos proxime sequebantur uersus læuum cornu Thessali equites, quos Philippus Meneli ducebat. Vniuerso autem sinistro cornu Parmenio Philotæ præpositus erat, circa quod Phaseliorū equites locati, multi illi quidem numero, ac fortissimi ex Thessalico equitatu. Per hunc maxime modū Alexander à fronte instruxit acies. His autem & alteram superadiecit, atq; ita instituit, ut phalanx anceps esset: traditis mandatis eius ducibus, ut si uiderent, exercitum à Persis circumiri, subito conuersi, Barbarorum impetum exciperent. Flectentes uero, sicubi illos necessitas cogeret, aut longius extenderent aut coarctarent aciem. Quo ad dextrum cornu, consequenter locati erant iuxta alam regiam, pars Agrianorum, quos Attalus ducebat: & cum his Macedones sagittarij, quis præerat Briso. Sagittarijs adiuncti erant ij, quos ueteranos exteros nuncupabant, quorum dux Cleander erat: supradictis autem Agrianis ac sagittarijs antecursores equites, ac Pæones, quos Aretes atq; Aristo ducebant. Ante omnes adstabant mercenarij equites, Menida duce. Sed & ante alam regiam ac cæteros amicos, constiterant pars Agrianorum & sagittariorum, ac Balacri iaculatores: hiq; aduersus falcatos Darij currus dispositi

siti erant. Menidæ, & his quos circa se habebat, mandatum est, si forte suum cornu circumequitarent hostes, illos à latere aggrediantur, quando in eos uerti contingat. Et hæc quidem in dextro cornu ita sunt ab Alexandro constituta. Quod uero ad læuum attinet, Thraces locati, quis Sitalces præerat: & cum eis sociorum equitatus, quorum dux Cœranus, præter hos Odrysæ equites, Agathone Tyrimæ duce. Omnium autem primi ex hac parte collocati erant externi milites mercenarij, quis Andromachus Hieronis, præpositus sarcinis & impedimentis peditatus, Thracum præsidio destinatus est. Erat autem totus exercitus Alexandri numerus, equites ad septem millia, pedites circiter XL. M. Postquàm exercitus inter se propiores facti, uisum est Alexandro Darium, & qui circa illum erant Melophoros Persas, Indos, Albanos, Cares Anaspastos, ac Mardos sagittarios contra se atq; turmā regiā locatos esse. quapropter aduersus dextrū Darij cornu longius producit aciē. Persæ contrà adnituntur, quo ad læuum cornu Macedonum phalangem in longum excedentes. Itaq; Scytharū equites primas ferè Alexandri acies contigerāt: et nihilominus Alexander adhuc dextrorsum extendebat aciem. aciam propè erat ut locum excederet, quem Persæ æquauerant: cum metuens Darius, ne procedentibus in loca iniqua Macedonibus,

currus

currus sui, in quis plurimum spei posuerat, inutiles fierent, confestim eos qui ante sinistrũ cornu erant, circumuenire præcipit, ne producendi longius cornu Alexandro facultas esset. Quo uiso Alexander illico mercenarios equites, quorum Menides dux erat, inuadere eos iubet. Cæterũ Scythis ac Bactrianis equitibus, qui Scythis iuncti erant, in se ex aduerso acriter inuectis, impetum non tulerunt. Aduersus quos Aretis militibus, ac Pæonibus, & externis subito immissis, & ipsi Barbari pedem retulerunt. Quos Bactriani, & alij his proximi adorti, ex fuga in pugnam retraxerunt: commissoq; equestri prælio, plures quidem de Alexandri exercitu cadebant: tũ quod Barbari multitudine uincebant, tum quod Scythæ et eorum equi armis instructiores erãt. Quorum impetu excepto, Macedones alijs regijs adiunctis acriter inuecti, cum illorum ordines turbassent, continuo Barbari currus falcatos aduersus Alexandrum, quo phalangem disturbarent, immittunt: in quo maxime decepti sunt. Nam alij quidem ẽ curribus statim ut appropinquarunt, ab Agrianis ac iaculatoribus, quorum dux erat Balacrus, ante amicorum equitatum confossi sunt. Alij cum per lora comprehensi equis detracti essent, equi undiq; circumuenti feriebantur. Nonnulli per medias hostium acies intacti euaserũt. Pandebatur nanq; ijs ad fugam uia, ita enim, quo minus

nus læderent, Alexander mandauerat. Atq; his maxime contigit, sine suo, & eorum in quos ferebantur, periculo, per hostes inuehi. Verum & horũ pleriq; à ministris equitatus Alexandri atq; argyraspidis comprehensi sunt. Cumq; Darius peditatum admoueret, quo dextrum Alexandri cornu circumueniret, Alexander in eos Aretem repente immittit. Ipse interea nihilominus suos in cornu agebat. Cæterum ut uidit Barbarorum equites, qui suis iam in fugam inclinatis auxilio ierant, priores peditatus ordines aliquantũ discidisse: eò repente conuersus, quà abruptio patebat quasi cuneo facto, ex amicorum equitatu cum ingenti clamore celeriter aduolat, uelut i Darium ipsum peteret. Et paruo quidem spacio hostes substiterunt. Nam postquàm Alexander cum equitatu, quem circa se habebat, ualidius hostes urgere cœpit, impulsis ac præacutis hastis Persarum ora feriendo, phalanxq; Macedonica densa atq; hastis horrida in eos impetũ fecit, omniaq; Dario iam dudum exterrito desperationem afferrent, ab ipso primum Dario fugæ initium factũ. Nec minor illos terror inuaserat, qui Alexandri cornu circumuecti, ab Aretis equitatu fortiter repreßi fuerant. Itaq; effusa fuga fugientes Persas Macedones insecuti, multos eorum cæciderunt. Simmias suos adhuc continebat, nec fugientes hostes à tergo insequi patiebatur: sed ibidem

ibidem pugnans consistebat, quoniam sinistrum Macedonũ cornu laborare nunciabatur: tum quod quà Alexander in hostes inuectus, ordines laxauerat, ac rarefacta acies erat, Indi, ac pars equitatus ad sarcinas & impedimenta penetrauerant: ibiq; acerrimè pugnabatur. Persæ namq; pleriq; inermes, phalange duplicata freti, temere in hostes irruebãt. Barbari quoq; captiui, ut uiderunt Persas impetu facto Macedonas inuadere, in medio pugnæ ardore et ipsi Macedones conuersi sunt. Duces autem Macedonũ, qui ad primam phalangem accesserãt, cùm celeriter cognouissent quid ageretur, conuersa acie, uti moniti fuerant, ab tergo Persas adorti, plerosq; eorum sarcinis implicitos interficiunt, cæteros in fugã uertunt. At qui in dextro Persarum cornu rem gerebant, non dum cognita Darij fuga, Alexandri sinistro cornu circumfusi, eos potissimum qui circa Parmenionem erant inuadunt: ac tum primum, cum in ancipiti essent Macedonum res, confestim Parmenio mittit, qui nunciet læuũ cornu in discrimine uersari. Quæ, ubi Alexandro nunciata sunt, protinus à persequendis hostibus conuersus, & cum amicorum equitatu eò celeriter aduolans, cum in Parthos equites, & Indorum plerosq;, atq; in fortissimos Persarum incidisset, acrius multo prælium quàm usquam antea alibi committi cœptum. Tũ Barbari cateruatim terga dare

Persarum & Macedonum congressus.

dare cœperunt, iis qui circa Alexandrum erãt obuiã facti: non iam eminus iaculis, aut equorum concursu certabant, quemadmodum in equestri prælio fieri solet, sed comminus conserta manu rem gerebant: alius alium equo detrahere conantes, ueluti hac una in re eorum salus uerteretur. Itaq; feriebant simul, & feriebantur: quasi non iam pro aliena uictoria, sed pro sua salute dimicarent. Dum sic pugnatur, ex amicis Alexandri circiter LX cæsi sunt, Hephæstione et Cœno ac Menida uulneratis. Sed cum Alexandri impetum diutius ferre non possent, in fugam uersi, effuso cursu saluti consuluerunt. Iamq; propè eò uentum erat, ut Alexander cum dextro hostium cornu congrederetur: quod Thessali equites strenue adorti, nullum ei negocij partem illis iam in fugam coniectis reliquere. Quod cum Alexander animaduerteret, ad insequendum Darium denuo conuersus, nõ prius insequi destitit, quàm eum nox oppreßit. Alexander Lyco amne pertransito, ut fessos prælio milites equosq; recrearet, aliquantisper subsistit. Interim Parmenio castris hostium potitus, sarcinas, elephantos, & camelos cœpit. Alexander ad mediam noctẽ exercitui quiete data, postea inde mouens, ad Arbelas contendit: tanquam ibidem Darium, & pecuniã, regiamq; suppellectilem comprehensurus. eoq; postero die peruenit, integra sexcenta stadia emensus. Et

De Lyco flu. Curtius in 3. & 4.

Et Darium quidem ibidem non est nactus. is enim nullo loco fidens, nusquam quiescere audebat. Caeterum & pecunia eius arrepta, & scutum atq; arcus iterum in uictoris potestatem deuenerunt. De Alexandri equitatu non plus centum ea pugna ceciderunt. *equi supra mille partim ex uulneribus, partim ex labore immodico: ex quibus penè dimidia pars ex equitatu amicorum fuit.* Ex Barbaris propè trecenta milia *caesa ferebantur, multo plures capti.* Ad *haec currus, quicunq; praelio affuerunt, omnes confracti. Is fuit pugnae exitus Aristophane Atheniensi summum magistratum gerente.* Hanc pugnam eo tempore *futurā Aristander praedixerat, foreq; uti Darius ab Alexandro uinceretur.* Darium non procul ab Ar*meniae montibus in Mediam fugientem, sequebantur ex Persis regis consanguinei, ex Melophoris non multi: mercenarij quoq; peregrini ad duo milia, quorum Paron Phocaeus, et Glaucus Aetolus duces erāt.* Recipiebat autem sese in ea loca, propterea quod Alexandrum ex praelio Susas ac Babylonem petiturum *existimabat. cum omnis ea regio cultoribus frequens esset, & iter haud difficile, ipsaq; Babylon & Susae belli praemia uiderentur fore. iter enim in Mediam, exercitui perincommodum uidebatur.* Nec in eo deceptus est. namq; ex Arbelis Alexander mouens, *rectā Babylonem profectus est. Cumq; non procul à* Baby-

Darii fuga.

Susae nunc Tauris dicta.

Babylone abesset, instructo agmine, ueluti pugnaturus proficisci cœpit. At Babylonij cognito eius aduentu, non expectanti obuiam progressi, cum sacerdotibus & urbanis magistratibus munera ferentes, urbem cum arce & pecunia regia ei confestim tradidere. Quibus acceptis urbem ingressus, templa, quæ Xerxes ibidem euerterat, instaurari iussit: & in his templũ Beli, quem singulari religione Babylonij colunt. Ciuitati præfecit Mazæum, & Apollodorum Amphipolidem, ducem militum, quos cum Mazæo præsidio reliquit. Quæstorem Asclepiodorum Philonis, in Armeniam Mithrenem misit, qui ei prouinciæ præesset: à quo Sardorum arcem acceperat. Chaldæos ut conuenit, egit omnia quæ circa religionem agenda monuerũt: & Belo sacrificauit. Procedenti deinde Susas, occurrunt ei in itinere Susiorum Satrapæ filius, ac tabellarius cum literis à Philoxeno, quem Susas præmiserat. Epistola Philoxeni in hanc sententiam conscripta erat: Susios deditionẽ fecisse, omnemq; regiam pecuniam Alexandro traditam. E Babylone Susas uigesimo die peruenit. urbemq; ingressus, pecuniã omnem argenti talenta ad L milia, cæteramq; regiam supellectilem accepit. Multa præterea ornamenta ibi reperta sunt, quæ Xerxes ex Græcia direpta deportauerat: inter quæ Harmodij & Aristogitonis Atheniensium æneæ statuæ, quas

Belus

Inde apparet, quæstorem apud exteros etiam fuisse.

Philoxeni epistola.

De Harmodio & Aristogitone tyrannis Plin. lib. 7. cap. 25.

Athenienſibus remiſit. hæ tempeſtate etiam noſtræ Athenis in Ceramico conſpiciuntur, haud procul ab ara Eudanemi: quam, quiſquis apud Eleuſim initiatus eſt, in Dapedo ſitam non ignorat. Hic Alexander patrio ritu ſacrificio facto, ludiſq; editis, Abulicem Perſam Suſianæ regioni præpoſuit: Mazaro, uni ex amicis, arcis cuſtodia mandata: copiarum, quas ibidem relinquebat, Archelaum Theodori ducem conſtituit. Deinde in Perſas mouit. Miſit & in maritimas regiones Menetem, eumq; Syriæ, Phœniciæ, ac Ciliciæ præfecit: traditis ei argenti talentorum tribus milibus, quæ Antipatro mari mitteret in bellum aduerſus Lacedæmonios gerendum. In hoc rerum ſtatu Amyntas Andromeni cum magnis copijs, quas in Macedonia contraxerat, ad Alexandrum uenit. & equites quidem Alexander in amicorum equitatum tranſtulit, pedites uero diſtribuit ſingulos quoſq; in gentis ſuæ ordines. præterea ſingulis turmis duos decuriones adhibet, cum prius decuriones in equitatu nulli eſſent: quarum ductores delegit, ex amicorũ numero lectis, qui maxime uirtute præſtarent. Diſcedens è Suſis, Paſitygri amne tranſmiſſo, Vxiorum regionem inuadit. Et Vxij quidem plana incolentes, cum Perſarum Satrapæ parêrent, Alexandro deditionem fecerant. Montani uero liberi erant. Iamq; ad Alexandrum miſerant, qui denunciarent ſe non

paſſuros,

passuros eum cum exercitu in Persas transire, nisi tantundem daret, quantum à Persarum regibus pro transitu accipere soliti essent. Quos Alexander remissos renunciare suis iussit, uti angustias insessum irent, quibus impedire se transitum posse existimarent: uti à se quoq; taxatam pecuniam acciperent. Deinde *assumptis domesticis, atq; argyraspidis, & ex reliquis ad octo milia, noctu obliquo itinere, occultiore quidem, cæterum difficiliore, ducibus Susijs uno die in pagos* Vxiorum *peruenit: magnaq; præda facta, plerosq; eorum intra tecta somno oppressos interemit, cæteris in proximos colles passim dilapsis.* Ipse *celeriter ad eas fauces contendit, uti pactam mercedem* Vxijs *penderet:* Craterôq; *ad eos colles occupandos præmisso, in quos putabat* Vxios *ex fuga se recepturos, ipse festinantius contendens* Vxios *præuenit: instructoq; agmine procedens, per editiora loca properabat. cuius celeritate consternati Barbari, cũ sibi eos locos abreptos cernerent, quibus maxime confidebant, antequàm manus conferrent, sese in fugam protinus uerterunt, nonnullis in ipsa fuga interfectis, multis per abrupta montium præcipitatis: compluribus etiam à Crateri militibus, cum montes trepidi peterent, cæsis.* His *præmijs ab* Alexandro *pro transitu acceptis, uix orantes impetrauerunt, uti agros suos possiderent,* Alexandro *an-*

nua tributa penderent. idq; Ptolemæus tradit, Alexandrum Darij matris rogatu conceßiſſe. Tributũ ijs impoſitum, annis ſingulis equi centum, iumenta quingenta, pecudum triginta milia. nam pecunias Vxij non habebant, nec agros, propterea culturæ in habiles: ſed ipſi ut plurimum paſtores erant. Poſt hæc Alexander ſarcinas, & impedimenta, Theſſalosq; equites, ac ſocios, exterosq; mercenarios, & alios quicunq; grauioris armaturæ erant, cum Parmenione mittit, iubetq; uti per iter curribus habile in Perſas proficiſcantur: ipſe cum Macedonum peditibus, amicorum equitatu, & antecurſoribus, Agrianisq;, & ſagittarijs, per montana citatim iter facit.

Perſidis pylæ *ubi ad Perſidis pylas peruentum, Ariobarzanem ibidem reperit Perſarum ſatrapam, cum peditibus prope XL milibus, equitibus uero circiter ſeptingentis, ipſas fauces muro clauſiſſe, circaq; murum caſtris poſitis tranſitu prohibere inſtituiſſe. Itaq; poſtero die inſtructo exercitu, murum oppugnare aggreditur. cæterum poſtquàm irrito incepto apparuit non poſſe capi, propter iniquitatem loci, quod ſui multa uulnera ſubeuntes accipiebant, & ex locis ſuperioribus feriebantur, receptui cani iußit. Pollicentibus aũt captiuorum quibuſdam, ſeſe alia uia trans anguſtias ducturos: ut audiuit tramites illos difficiles atq; anguſtos eſſe, Cratero uti ordine ſibi deſignato, ac Meleagri*

leagri copijs, sagittariorum parte, & equitibus circiter quingentis ibi relicto cum mandatis, ut primũ sensisset se Persarum castris appropinquare, quod sibi haud difficile cognitu ex tubarum sono futurum esset, murum aggrediatur. ipse per noctem ad centũ stadia progressus, assumptis argyraspidis ac Perdic*cæ copijs, item leuioris armaturæ sagittarijs atq; A*grianis*, & ex amicis turma regia, ac centuria una equitum, flexo itinere, ijsdem captiuis ducibus, ad eas dẽ portas cõtendit:* Amynta, Philota, *ac* Cœno, *reliquas copias per plana agere iußis: flumine, quod eundo in* Persas *pertransiri necesse erat, ponte iuncto. Emensus incredibili celeritate iter illud asperum atq; difficile, cum ad primam* Barbarorum *stationem ante lucem improuisò peruenisset, quoscunq; ibi nactus est custodes obtruncauit. Ad aliam deinde stationem profectus, plurimis quoq; eorum occisis, cum ad tertiam peruenisset, custodum maxima pars territi diffugere cœperunt. Nec hi tamen in castra* Ario*barzanis, sed in proximos montes, ut quisq; potuit, trepidi se receperunt. Quapropter hostibus ignotus fuit* Alexandri *aduentus, donec sub lucem castra eorum aggressus est. Vbi ad fossas castrorum peruentum, signa canere iubet, uti* Craterus, *quemadmodũ imperauerat, cum reliqua copiarum manu è contraria parte murum oppugnet.* Craterus *audito signo,*

Alexandri mira celeritas.

continuò murũ subit. Hostes ancipiti malo circumuenti, anteq̃uàm manus consererent, fugere cœperunt. Sed cum fugæ locus non pateret, pleriq; eorum muros repetere coacti sunt. Et iam Macedones murum inscenderant, cũ Alexander suspicatus id quod euenit, ne hostes desertis castris aufugerent, relicto ad muri oppugnationem Ptolemæo cum tribus milibus peditum, ipse castra hostium adortus. hostibus in fugam uersis, multi eorum cecidere: pars effusa fuga in præcipitia loca delati, perierunt: Ariobarzanes cum paucis equitibus in montes refugit. Post hæc Alexander rursus ad flumen cum exercitu ire cœpit. iamq; ponte perfecto, haud mora, cum copijs traiecit: atq; inde in Persas magnis itineribus contendit, ut præueniret de se nuncios, priusquàm regiæ pecuniæ à custodibus diriperentur. Cœpit & apud Pasargades pecunias, quæ in thesauris Cyri prioris fuisse ferebantur. Persidi præposuit Phrasaortem

Cyri regia combusta.

Reomithri. Cyri regiam, uetustißimam illam & celebratißimam, combußit. quamuis Parmenio dissuaderet, cum propter alia, tum quia turpe esset ea corrumpere, quæ adeptus foret: tum quod Asiaticæ gentes minus amico in se animo ob eã rem futuræ essent. tanquam deliberasset, deuicta Asia, & uastata, in Græciam reuerti. Id autem ab Alexandro perpetratum, ut aiebat, ob iniuriam, quam Persæ Græcis intulissent, ulciscendam: qui olim Græciam cum ingenti ex-

ti exercitu ingreßi, Athenas, Græciæ lumen, crematis templis euertiſſent. quod quidem Alexandri commiſſum neq; probare auſim, neq; ab eo commiſſum in ultionem uerterim Perſarum: ſed alia cauſa adductum, magis crediderim. Deinde Alexander in mediam procedit, ubi Darium eſſe acceperat. Darij namq; conſilium fuerat, ſi Babylonem ac Suſas Alexander ex prælio peteret, ipſe in Media moram faceret, expectans ſi quid ſiniſtri illi contingeret. Sin uero Alexander in ſe conuerteretur, ipſe in Parthiã & Hyrcaniã uſq; ad Bactra ſe reciperet, omniq; cura regione uaſtata, Alexandro ad ulteriora penetrandi poteſtatem eriperet. Itaq; fœminis, & omni ſupellectile, quam ſibi reliquam belli fortuna fecerat, carriſq; ad portas Caſpias præmißis, ipſe cum his copijs, quas ex præſenti rerum ſtatu collegerat, in Ecbatanis expectabat. Quibus cognitis, Alexander in Mediam progredi cœpit: primoſq; omnium Paritacas ſubegit, Oxoathre Abuleti Suſarum olim ſatrapæ filio ijs præpoſito. Cumq; digreſſo in itinere nunciatum eſſet, decreuiſſe Darium iterum prælij fortunã experiri, Caduſioſq; & Scythas ei auxilio aduentare: ſarcinis atq; impedimentis ſequi iuſsis, ipſe cum omnibus copijs inſtructa acie, tanquam ſtatim pugnaturus proceſſit, ac duodecimis caſtris in Mediã peruenit: ubi nec Dario copias eſſe ad dimicandum ido-

In gratiã Thaidis meretricis Alexander apud Plutarch. combuſſit Xerxis regiam.

neas,neq; Cadusios aut Scythas auxilio uenisse, eiq; potius omnē salutis spem in fuga superesse cognouit. Quapropter aduersus eum maiori celeritate contendebat. Cumq; ab Ecbatanis tridui modò spacio abesset,occurrit ei Bisthanes Ochi filius,qui ante Dariũ in Perside regnauerat:is'q; Alexandro nunciauit, Darium iam quinto ab inde die ex Ecbatanis profugisse, pecunia ex Media ad VII. M. talentorum secũ ablata, esse illi equites ad tria milia, pedites circiter sex milia. Quibus auditis, Alexander in Ecbatana profectus,Thessalos equites, ac sociorum,in maritimam oram remisit,præter stipendium, duobus milibus talentûm ijs dono datis: facta potestate,si quis eorum nollet amplius sub eo stipendia facere,ex quibus pleriq; nomina dederunt. Epocillo Polyeidis,uti eos qui domum reuerti quàm militare mallent,cum equitum præsidio deduceret, negotium datum. Misit & cum his Menetem,qui ubi ad mare peruentum esset, eos & in Euboiam nauibus transuehendos curaret. Post hæc Parmenioni mandat, uti pecuniam omnem quam ex Persis deportauerat, asseruandam in Ecbatanorum arce Harpalo tradat, cum sex milium Macedonum atq; equitum & amicorum nonnullorum præsidio.ipse cum externis,ac Thracibus, & cætero equitatu,præterquàm amicorum, per Cadusiorũ fines uersus Hyrcaniam proficiscatur. Clito turmæ

regiæ

regiæ ductori scribit, cum è Susis in Ecbatana accessisset (ibi enim relictus ab eo fuerat corpore æger) receptis Macedonibus, qui regiæ pecuniæ præsidio relicti fuerant, in Parthiam, quò iturus esset, contenderet. Ipse inde mouens cum amicorum equitatu, ac præcursoribus, equitibusq́; mercenarijs, quos Erigyus ducebat, phalangeq́; Macedonum, ijs exceptis qui pecuniarum custodiæ destinati erant: itemq́; sagittarijs, & Agrianis, ueluti cum Dario congressurus instructa acie pergebat. Cumq́; summa celeritate contenderet, multis militibus præ lassitudine post se relictis, equorum pleriq; extincti sunt. Nec tamen ob id iter cum festinatione persequi desinebat, decimoq́; die Rhagas peruenit. Hic locus unius diei iter à Caspijs portis, pro magnitudine itineris Alexãdri forte aberat. Cæterum Darius anteuerterat, occupatis faucibus: multi uero ex ijs, qui fugientem Dariũ secuti sunt, ex ipsa fuga in patriam reuertebantur. ex quibus etiam non pauci sese Alexandro dediderunt. Alexander spe deposita, Darium à se ulla celeritate cõprehendi posse, quinq; diebus ibidẽ substitit: recreatoq́; ex itinere exercitu, Oxydatẽ Persam, qui à Dario captus apud Susas in custodiam traditus fuerat, Mediæ præposuit. ipse in Parthos cum copijs pergebat. Ac primo quidem die iuxta Pylas Caspias castrametatus est: postridie in loca cultoribus fre- Rhagæ.

quentia progressus est. Cumq; inde cõmeatus in exercitum ferre statuisset, quòd audiebat interiorẽ regionem incultam ac desertam esse, Cœnum cũ equitatu ac paucis peditum frumentatũ mittit. Inter hæc ad eum mittit Bagistanes Babylonius, qui Darium secutus fuerat: & cum eo Antibelus, unus ex Mazæi filijs, nunciantes Darium à Nabarzane mille equi- Ἀγέγγωρ. tum duce, & à Braza Arachotorum & † Daænarum, ac Besso Bactrianorum satrapa comprehensum esse. Quo audito Alexander aliquanto citatius facere iter cœpit, amicis modò & equitibus antecursoribus, ac ex peditatu fortioribus & uelocioribus delectis: nõ expectato Cœno, et ijs qui cum Cœno frumentatum ierant. Crateroq; ijs quos relinquebat præfecto, mandat ut itinera moderatius faciant. qui eum sequebantur, arma tantummodo, ac duorum dierum cibaria ferre iussit. Itaq; mouens, cum tota nocte & insequenti die usq; in meridiẽ peragrasset, aliquantum temporis militi ad quietem dedit. Inde rursus mouens, cum tota nocte citato agmine iter faceret, diluculo in ea castra, unde Bagistanes discesserat, peruenit. & hostes quidem ibi nactus est. Cæterum factus est certior, Darium comprehensum in curru aduehi: Bessumq; ducem appellari à Bactrianis, & à cæteris Barbaris, præterquam ab Artabazo, & Artabazi filijs, Græcisq; mercenarijs. hos

in Darium fideles perpetuò fuisse: sed quæ aduersus Darium perpetrabantur, prohibere nequiuisse: illosq; diuersos extra publicam uiam, seorsum montes petere, nec cum Besso consilia communicare. Ad hæc qui Darium cœperunt, si audiant Alexandrum se insequi, Darium tradere, & rebus suis consulere decreuisse. sin retro conuersum intelligant, quàm maximas poßint copias cogere, imperium inter se commune communi ope & consilio tueri: Bessum in præsentia exercitus ducem designatũ esse, propter eam necesitudinem, quæ sibi cum Dario esset: tum etiam, quòd eius in prouincia Dario manus iniectæ essent. Hæc audiens Alexander, omni nixu sibi properandum existimauit. Et iam tam equi, quàm uiri, continuato itinere defatigati erant. Sed nec tamen morabatur agmen, magnisq; itineribus per noctem & insequentem diem usque in meridiem exactis, in pagum quendam peruenit: ubi qui Darium adducebant, pridie castra habuerant. Cumq; ibi certior factus esset, Barbaros statuisse noctu iter facere, incolas percontatus est, an uiam breuiorem scirent, qua fugientes præueniri possent: cumq; illi respondissent, scire se aliam, cæterum desertam & aquarum inopem: uti sibi eius itineris duces essent, imperauit. Cumq; intelligeret non posse pedites se tanta celeritate euntem sequi, ad quingentos

equites, sumpta peditum armatura, desilire equis iubet: Nicanorem argyraspidum & Attalum Agrianorũ duces, reliquos agere, eos uidelicet qui leuissimè armati essent, quà Bessus cum suis properare dicebatur: cæteros pedites ordinatim sequi: ipse prima noctis uigilia iter ingressus, cum citatius duceret, ad XL stadia emensus, sub lucem Barbaros incompositè abeuntes atq; inermes assecutus est. Pauci eorum constiterunt: cæteri effuso cursu, conspecto Alexandro diffugere. Sed qui primo impetu excepto restiterunt, mox & ipsi aliquot desideratis, in fugam conuersi sunt. At Bessus, & fugæ sceleris q; socij, qui Darium curru auehebant, post quàm Alexandrũ adesse senserunt, Dario à Satibarzane & Barzanete graui ter uulnerato, & ibidem semianimi, cum sexcentis ferè equitibus saluti fuga consuluerunt. Nec multo pòst Darius, priusquam ab Alexandro uideri potuit, ex acceptis uulneribus interijt. cuius corpus repertum Alexander ob pristinæ fortunæ reuerentiam in Persas deportari iussit, atq; regijs sepulchris inferri, in quibus cæteri Persarum reges ante Darium condi consueuissent. Post hæc Ammynapem Parthũ, qui sibi unà cum Mazæo Aegyptum tradiderat, Parthorum atq; Hyrcanorum satrapem constituit: et cũ illo Tlepolemum Pythophani, unum ex amicorum numero, qui Parthorum & Hyrcanorum rebus intenderent.

Darii interitus. atq; hic Plutarch. cũ Arriano consentit.

tenderent. Et hic quidem exitus Darij fuit, Aristophonte Atheniensem rempub. administrante: uiri quidem, si rem militarem spectes, nihil minus quàm ad res bellicas nati: per cætera uero, qui nihil indecorum regiæ maiestati perpetrarit. Imò nec potuit quidem. nam simulac regnare cœpit, à Græcis & Macedonibus uexatus est. Quapropter uolenti etiam non licuisset, populares suos iniuria afficere. Viuenti quidem multa alia super alia aduersa contigerunt, nec ulla requie frui potuit, ex quo regnare cœpit. nã statim à regni initio clades illa ad Granicum amnem ab eo accepta est. Deinde Aeoliam & Ioniam amisit, & utranq; Phrygiam: Lydos quoq;, & Cares, præter Alicarnassenses. nec multo pòst et Alicarnassus ei erepta: deinde omnis maritima regio, usq; ad Cilicas. Post hæc ingenti pugna apud Isson uictus: in qua mater, uxor, ac liberi eius capti sunt: Phœnicia ac Aegyptus imperio eius detractæ. In Arbelis superatus, amisso maximo exercitu, ex omni genere barbarorum comparato, ipse imprimis turpiter fugit. ad hæc regno expulsus, errans, egensq;, ad postremum proditus à suis, eodem tempore rex simul & captiuus, in uinculis fœdißimè habitus, eorum insidijs perijt, à quibus salutem sperare debuerat. Hæc tot mala & calamitates uiuenti Dario acciderunt. At mortuo contrà, & funus dignum regio fastigio, & honesta filiorũ

Darii calamitas.

filiorum educatio (namq; ab Alexandro educati institutiq; sunt) & Alexandri affinitas, qui eius filiam in uxorem cepit: ut beatior post mortem, quàm in uita fuisse uideatur. Annos ferè L natus mortē obijt. Alexander autem unà cum ijs, quos Bessum persequens in fuga post se reliquerat, in Hyrcaniam profectus est. Sita est ab læua uiæ in Bactrianos ferentis.

Hyrcaniæ situs.

& hæc quidem montibus editis atq; opacis diuiditur: planicies uero eius in mare magnum porrigitur. Hac Alexander ibat: quòd acceperat externos milites, qui Darij stipendia fecerant, ad Pagrorum montes confugisse: Pagros ipsos eadem opera imperio suo subijcere in animo habēs. Atq; in tris partes diuiso exercitu, ipse utplurimū per breuißimos ac difficillimos tramites, expeditiores è toto exercitu delectos ducebat. Cratero cum suis & Amyntæ copijs, & aliquanto sagittariorum numero, ac paucis equitibus contra Tapurios misso. Erigyium cum externis, & reliquo equitatu, uia recta, cæterum longiore, currus ac sarcinas & cæteram turbam ducere præcipit. Transmißis autem primis qui occurrerunt montibus, ibidem castrametatus, argyraspides, & ex phalange Macedonica expeditißimos quosq;, & aliquantos ex sagittarijs uiam perdifficilem atq; impeditam ingressus est: dispositis præsidijs, ubi quid discriminis esse uidebatur: neu Barbari montani in eos qui seque-

sequebantur, impetum facerent. Transgressusque angustias, iuxta exiguum quendam amnem (nomen obscurum est) castra in plano posuit. Huc loci † Anabarzanes, unus è Darij ducibus, & Phradaphernes Hyrcanorum ac Parthorum satrapes, & alij quidam Persarum, qui apud Darium in honore fuerant, ad eum profecti, sese in eius fidem dedere. In his castris quatriduum moratus, quos præ festinatione in itinere reliquerat, ad se recepit. Et alij quidem tutò transierunt. sed cum montani Agrianos præsidio relictos inuasissent, iaculis repulsi protinus discesserunt. Mouens inde Alexander Hyrcaniam uersus, Zadracarta urbem Hyrcanorum petit. Quò ad eum uenere Craterus, & qui cum eo erant: non inuentis mercenarijs, Darium secutis: uniuersa regione, quam inquirentes peragrauerunt, partim ui, partim uoluntate in deditionem recepta. Erigyius quoque cum curribus & sarcinis eòdem peruenit. Nec multo pòst Artabazus cum Cophene, Ariobarzane, ac Arsame filijs, & cum his legati ab exteris mercenarijs, qui Dario militauerant, & item Autophradates Tapuriorum satrapes, Autophradatem in satrapiam suam restituit, Artabazum ac liberos secum in honorem habuit: tum quòd ex primoribus Persarum essent, tum propter eorum erga Darium regem suum constantiam & fidem. Græcorum mercenariorũ legatis ab eo

ναβαρζάνης

Zadracarta urbs.

ab eo fidem ac pacem petentibus, nullam se conditionem admissurum respondit, ni se eius arbitrio potestatiq; permitterent: grauissime eos increpans, qui pro Barbaris aduersus Græciam contra Græcorum decreta militassent. qui cum nullam reliquam salutis uiam cernerent, cum se eius potestati permisissent, petiere uti quenquã è suis unà mitteret: cuius autoritate tutò ad eum proficisci possent. Ii circiter mille quingenti esse ferebantur. Itaq; Andronico Aggerri, & Artabazo cum iisdem legatis ad eos missis, ipse in Mardos ire perrexit, assumpta argyraspidum manu, et præter hos sagittariis, et Agrianis Cœni ac Amyntæ copiis, ac dimidia amicorum parte equitũ, equitibusq; iaculatoribus. Iam enim erant ab eo constituti & ordines hastatorum equitum, magnaq; ex parte Mardorum prouincia peragrata. plerosq; illorum fugientes, quosdam etiam resistentes interfecit, multis uiuis in potestatem redactis. Ante ipsum eam regionem nemo hostiliter inuaserat, propterea quòd loca illa aditu difficillima, & ipsi inopes rerum, ac ob eam causam sibi tuti uidebantur. Igitur nec Alexandrum qui eos inuasurus ferebatur, metuebant, potissimum quod eum iam ulterius profectum audierant, atq; ideo incautiores facilius oppressi sunt. Multi eorum & in finitimos montes confugerunt, qui & prælti & imperuii sunt: ueluti Alexander ad eos

De Mardis Curt. in 5.

penetrare

penetrare non posset. Postquàm uero & ea loca adiri ab Alexandro conspicati sunt, missa ad eum legatione, & se & sua in eius fidem dederunt. Quibus receptis, ac dimissis, Autophradate satrapa gentis eius ac Tapuriorum designato, ipse in castra unde mouerat reuersus, Græcos mercenarios qui ad se uenerant repperit: item Lacedæmoniorum legatos, qui ad Darium profecti fuerant. Hi erant Callistratides, Pausippus, Monimus, Anomanthus, ac Dropides Atheniensis: quos comprehensos in custodiam tradit. Sinopeorum legatis abeundi potestatem fecit, quòd Sinopei cum sub Græcis non essent, sed sub Darij imperio, non iniuste facere uiderentur, si ad regem suã legationem misissent. Græcos quicunq; antè pacem & societatem cum Macedonibus iunctam apud Persas mercede militauerant, & item Heraclidem Carthaginensium legatum dimisit. Cæteros secũ eadem mercede, qua sub Dario meruerant, militare iussit: ijsq; Andronicum præfecit. Quibus peractis, inde mouens ad † Zadracata opulentissimũ Hyrcanorũ oppidũ, in quo regia erat, profectus est: ibiq; ad XV dies commoratus est, sacrificio dijs rite facto, ludisq; gymnicis perpetratis, in Parthos contendit. Inde uersus † Aris montes, ac Susiam Areorũ urbem, quò Satibarzanes Areorum satrapes ad eum ueniens, sese in eius fidem dedit. Quo recepto, & popularũ suo- ζευδράκαρτα τοὺς ἀρείους

k rum

rum præside relicto, unà cum eo Anaxippum, unum ex amicis, misit, iaculatoribus ei ad XL traditis: quos custodes disponeret, ne qua iniuria ab exercitu per eorũ agros transeunte fieret. Inter hæc ad eũ aduenerunt quidam Persarum, nunciantes Bessum Persicam uestem ac tyaram rectam, regium capitis insigne, propalàm ferre, ac pro Besso Artaxerxem se Asiæq; regem appellari. habere illum ex Persis, qui in Bactra effugerant, & ex Bactrianis cõplures: praeterea Scytharum fœderatorum ad se aduentum expectare. Quibus cognitis Alexander coacto iam omni exercitu, in Bactra iter arripit, quò Philippus Menelai ex Media ad eum profectus est cum equitibus mercenarijs quis præerat, & Thessalis qui sua uoluntate in castris remanserant, ac peregrinis præterea quorum Andromachus dux erat. namq; Nicanor Parmenionis argyraspidum præfectus, iam morbo corruptus decesserat. Eunti in Bactra Alexandro nunciatur, Satibarzanem Areorum satrapem, de quo antè diximus, occiso Anaxippo, & equitibus iaculatoribus quos secum duxerat armatis, Areis, & apud Artacoana urbem (in qua regia Areorum erat) congregatis decreuisse, postquàm ulterius progressum audisset, ad Bessum ire, & cum illius copijs se cõiungere. Quæ ubi accepit, intermisso in Bactra itinere conuersus, assumptis equitibus ex amicorum ordine,

Bessus rex appellatus.

Nicanoris obitus.

ne, iaculatorum equitatu, sagittarijs atq; Agrianis, & Amyntæ Cœniq; cohortibus, exteris ibidem relictis, & cum his Cratero, qui eorum ductor esset, ipse celeriter aduersus Satibarzanem & Areos ducit: stadijsq; propè sexcentis biduo emensis, ad Artacoana peruenit. Cæterum Satibarzanes ut agnouit Alexandrum appropinquare, eius uelocitate consternatus, cum opibus suis diffideret, cũ paucis admodũ equitibus profugit. multi namq; suorum Alexandrũ haud procul inde abesse certiores facti, ipsum in fuga destituerant. Alexander iter persecutus, quotquot defectionis participes nactus est, & qui desertis pagis domo abijssent, alios interfecit, alios in seruitutẽ redegit: Arsaceq; Persa ipsius gentis præside facto, ipse receptis ad se quos cum Cratero reliquerat, Zarangæos adiens eò peruenit, ubi illius gentis regia erat. † Barzanetes, q tũc Zarangæorũ prouinciã obtinebat, unus ex ijs erat qui Dariũ fugientẽ oppresserãt. qui cõtinuo cognito Alexãdri aduentu, ad Indos, qui cis flumẽ Indũ incolũt, profugit. quem cõprehensum ab Indis, & ad se retractũ, Alexander ob perfidiam eius in Dariũ interfici iussit. In his locis castrametatus, Philotã Parmenionis uitæ suæ insidiari didicit. Ptolemæus & Aristobulus autores sunt, cũ hoc antè illi in Aegypto indicatum esset, ueteris amicitiæ & consuetudinis simul & honoris causa, quem Parmenioni patri habebat, id pro cõperto habere noluisse.

Satibarzanis fuga.

βαρσαέντης.

Philotæ perfidia.

Ptolemæus adducit, in Macedonum cōcionem introductum Philotam, grauiter ab Alexandro accusatū: cum se excusare conaretur, ab indicibus conuictum, uel ex eo potißimum, quod is confessus est, se de quibusdam insidijs in Alexandrum paratis audisse, quas obticuisset, qui bis per singulos dies Alexandri tabernaculum adire solitus esset: ac tum Philotā, cum refellere obiectum crimen non posset, unà cum cæteris insidiarum conscijs à Macedonibus circumstantibus, iaculis confossum. ad Parmeniona, qui inde aberat, missum Polydamanta, unum ex amicorū numero, qui ab Alexandro literas ad duces exercitus qui tum erat in Media, detulit. hi erant Cleander, Sitalces, ac Menides: quîs omnibus Parmenio præerat. Ab his Parmenionem interfectum: siue, quòd haud uerisimile uideretur, Philota Alexandro insidias parante, Parmenionem patrem eius consilij ignarum fuisse: siue quidam etsi tanti sceleris particeps non esset, timendus tamen uideretur, filio interfecto: præsertim cū in magna existimatione tum apud Alexandrum, tum apud exercitū esset, nec tantum apud Macedonas, uerum & apud externos milites, quos sæpius & simul & separatim rexerat. Ferunt quoq; eodem tempore & Amyntam Andromeni in iudiciū uocatum, & cū eo Polemonem, Attalum, Simmiamq; Amyntæ fratres: tanquam et ipsi insidiarum aduer-

Philotas iaculis confossus. at Curtius in 5. saxis dicit.

sus

sus Alexandrum conscij fuissent, propter amicitiam, qua Philotæ iuncti erant. Idq; magis multitudini persuasum: quòd Polemō unus ex fratribus Philota comprehenso ad hostes transfugerat. at cum Amyntas cū cæteris fratribus permansisset, causamq; intrepidus inter Macedonas dixisset, iudicum sententia absolutum, nec dum dimisso concilio uti sibi ad fratrem reducendum liceret ire, postulasset: quod cum per Macedonas impetrasset, eodem die Polemonem reduxisse. ex eo manifestius Amyntæ innocentiam apparuisse. Eundem paulopòst pagum quendam hostium oppugnantem, sagitta ictum occubuisse. Iudi cum demum sententijs absoluto id tantum profuisse, quod utr probus & fidelis est habitus. Post hæc Alexander equitatu amicorum Ephæstionem Amyntoris, et Clytum Dropidis præfecit. Diuisisq; in duas partes sodaliū copijs (nam neq; unum ipsum Philotam permissurus erat tanti equitatus ducem esse) ad eos peruenit, qui primum Agriaspæ, postea Euergetæ, quasi benefici appellati sunt, quia Cyrum Cambysæ in expeditionē Scythicam adiuuissent. Hos in honore habuit: & quoniam iustitiæ studiosi essent, & tanquam qui Græcorum optimè instituti sunt, se suamq; rempub. rectissimè gubernarent, liberos esse iussit. ad hæc ex finitimorum agris quantum petiere (paruo autē contenti fuere) ijs concessit. Post hæc facto Apollini sacrificio,

Amyntæ interitus.

Agriaspæ. Euergetæ.

Demetrio uno ex corporis custodibus, quem Philotæ consiliorum participem fuisse suspicabatur, comprehenso, in eius locum Ptolemæum Lagi constituit. His actis, in Bactra aduersus Bessum ducere pergit. subactisq; in ipso itinere Drangis ac Dragogis, & Arachotis, Menona his præsidem dedit. Post hæc Indos Arachotorũ intimos inuadit. Atq; hasce gentis, quòd omnis illa regio præterquàm quòd niuibus per anni tempus obruebatur, omniũ rerũ necessariarũ inops erat, quarum rerũ causa exercitus uehementer laborabat, una excursione uicit. Cumq; agnouisset, Areos denuo arma sumpsisse, Satibarzane cum duobus milibus equitũ, quos à Besso acceperat, in eorum agros crebras excursiones faciente: cõtinuò Artabazũ Persam, & cũ eo Erigyium et Caranũ ex amicis aduersus illum mittit, Phratapherne Parthorum satrape unà cũ ijs proficisci iusso. Vbi ad hostes peruentum, atrox prælium commissum est. nec prius Barbari in fugam inclinare cœperũt, quàm Satibarzanes ab Erigyio iaculo transfossus cecidit. Quo casu territi Barbari, sese protinus in fugã coniecerunt. Inter hæc Alexander ad Caucasum montẽ profectus, urbem in eo condidit, ac de suo nomine Alexandriam appellauit. Factoq; sacrificio dijs omnibus, quibus sacrificare cõsueuerat, Proexe Persa ei regioni præposito, et ex amicis Niloxene Satyri præfecto cũ exercitu relicto, montem

Satibarzanis interitus.

Alexãdria ab Alexand. condita. meminit & Plutarch. in lib. de Fortuna Alexandri.

montem transgreditur. Mons Caucasus, Aristobulo autore, nulli montiū qui sunt in Asia altitudine secundus (per id anni tempus ab ea parte ut plurimum nudus erat) in longum maximè porrigitur. namq; & Taurū montē, qui Ciliciam Pamphiliamq; distermiuat, ex Caucaso esse perhibent: & alios item permagnos montes, qui pro uarietate gentiū, à quibus incoluntur, nomina uariant. Nihil uero in eo nasci præter terminthū, & silphiū, idem ipse Aristobulus autor est: & nihilominus multos in eo incolas esse, magnamq; pecudū & armentorū uim ibidem pasci. Silphium nanq; pecudes amare: quod si ex longinquo per odoratū senserint, eò citatim ferri, floremq; depasci, radicem quoq; excauando corrodere: & ob hanc causam greges quàm procul Cyrenæos ab ijs locis arcere. alios sepem obijcere: apud eos id gramen in precio esse. Inter hæc Bessus cum Persis, qui participes proditionis in Darium fuerant, & Bactrianis circiter septē milibus, ac Dais ultrà Tanaim habitantibus, regionem Caucaso adiacentem uastabat: ut per solitudinē terræ interiectā, & cōmeatuū rerumq; necessariarū penuriā contineretur Alexander, quo minus ulteriora loca peteret. Verū hoc Alexādrū à proposito itinere haudquaq̄ retraxit, quanq̄ iter difficillimū esset, alta niue circūquaq; solū operiente. Bessus, ut agnouit Alexandrū haud procul inde abesse,

Caucasi altitudo.

Taurus.

Bessi fuga.

Oxo flumine celeriter traiecto, nauibus, quis copias Nautaca. *transuexerat, igni corruptis, inde in* Nautaca *Sogdianæ regionis se recepit. sequebantur eum* Spitamenes, *&* Oxyartes, *cum equitibus Sogdianis, &* Dais *à* Tanai *profectis.* Cæterum Bactriani *equites, ubi Bessum in una fuga spem salutis posuisse intellexerunt, alius aliò dilapsi, domum reuerterunt. Profe-* Drapsaca, Aorni, Bactra, *ctus deinde* Drapsaca Alexander, *recreato aliquantum ex labore exercitu, in* Aornos *&* Bactra*: maximas* Bactrianorum *urbes ducit, easq; admoto exercitu primo impetu cœpit: atq; in* Aorni *arce* Archelao Androcli, *uno ex amicis, cum ualido præsidio relicto, cæteram* Bactrianorum *gentem domuit: ijsq;* Artabazo *Persa præposito, ipse ad* Oxum *amnem* Oxi flu. ortus & magnitudo, *iter facit.* Oxus *è monte* Caucaso *oriens, maximus habetur omnium Asiæ fluuiorum, qui ab* Alexandro *cũ copijs traiecti sint:* Indorum *fluminibus (sunt enim longè latiora) exceptis: in magnum mare apud* Hyrcanos *influit. Conanti* Alexandro *flumen transire, nulla se facultas offerre uidebatur. namq; eius latitudo ad sex maximè stadia amplectitur, altitudo latitudini non respondet: sed enim profundior, et sabulosus atq; prærapidus est, molitionum ob id impatiens. omne præterea circum solũ materia nudum. ad hæc magna temporis iactura futura uidebatur, si ex longinquo materia portanda esset, fabricando ponti necessaria.*

cessaria. Itaq; tentorijs pelles detrahi, easq; minutis ac leuibus quibusdam festucis repletas, accuratè consui iubet, ne quid aquæ intus influeret. quibus inscensis, uniuersum exercitũ intra quintum diem flumen transuexit: antequam traijceret, delectis quibusq; ex Macedonibus, aut ætate aut bello fessis: item ex Thessalis, qui sua uoluntate in castris remanserant: quos omnes domum remisit. In Areos quoq; Stasano rem, unum ex amicis, qui Arsacem Areorũ satrapem comprehenderet: quoniam rebus domi nouandis studere ferebatur. ipsumq; in Arsacis locũ suffecit. Traiecto autem amne contendebat, ubi Bessum cum copijs esse acceperat. Ac in itinere obuios habuit à Spitamene ac Datapherne nuncios, pollicentibus, si unũ aliquem ex ducibus suis cum aliquantis copijs mitteret, se Bessum comprehensum in eius potestatem tradituros: quem licet nondum in uinculis, in potestate tamen iam haberent. Quæ ubi audiuit, confestim Ptolemæo Lagi præmisso cum tribus cohortibus ex amicorum equitatu, cunctisq; hastatis equitibus, ac Philotæ peditatu, argyraspidibus mille, & Agrianis, & sagittariorum parte, ad Spitamenem & Dataphernem contendat iubet: ipse paulo lentius quàm prius, agmen agit. Ptolemæus decem dierum iter quatriduo emensus, eò peruenit: ubi Barbari cũ Spitamene pridie castra habuerant. Ibi factus est cer- Stasanor.

tior, non esse Spitameni & Datapherni certam de Bessi traditione sententiã. Itaq; peditibus relictis, ac subsequi iussis, ipse cũ equis praeuectus, in quendam pagũ improuisò peruenit, ubi Bessus cũ paucis militibus agebat. namq; qui cũ Spitamene erãt, iam discesserant, Bessum prodere hostibus ueriti. Igitur Ptolemaeus pago cũ equitatu circumsesso (erat enim muro circundatus) paganis circa portas denunciari iubet, incolumes fore, si Bessum traderẽt. Quo audito, confestim Ptolemaeo intra pagũ recepto, Bessus comprae hensus uinctus est. Rediens igitur ad Alexandrũ Ptolemaeus praemittit, qui percontetur, quo nam modo Bessum in conspectũ suũ adduci uelit. cui Alexander placere sibi, Bessum catenis uinctũ ad se adduci nudũ: & ad dexteram partẽ uiae statui, qua ipse cum exercitu profecturus esset. Quo in conspectum adducto, interrogauit eum: Cur nam Dariũ regem suũ ac necessariũ, de se optimè meritũ, primũ comprehensum in uinculis habuisset, deinde uinctũ necasset. Cui Bessus: id non suum modo cõsiliũ fuisse, sed & omnium qui tunc apud Dariũ fuissent, uti eius uiri traditione sibi salutem apud uictorẽ quaererent. Tũ Alexander Bessum uirgis caedi, ac per praeconem pronunciari, quaecunq; illius de perfidia in regem suũ ei ipse exprobrasset. deinde uerberatũ remi: ti in Bactra, ibiq; occidi iussit. Haec Ptolemaeus de Besso. Aristobulus autem

Bessus paganorum perfidia captus. Idem Curtius in 6.

autem scribit: qui cum Spitamene ac Dataphernè erāt, ad Ptolemæum Bessum adduxisse, eumq́; nudū & catenis uinctum Alexandro traditū. Post hæc Alexander refecto equitatu (multi enim equi ex defatigatione perierant, tam in transitu Caucasi, quàm in itinere ad Oxum amnem) in Maracanda, quæ in urbe Sogdianæ gentis regia erat, iter cepit: indeq́; ad Tanaim progressus est. Huius fluminis fons, quem Orxantē alio nomine Barbaros uocare Aristobulus asserit, è Caucaso monte oriens, in Hyrcanum mare prorumpit. Est & alter Tanais, quem ait Herodotus Scythiæ fluminum octauum, ex magno lacu ortum, in Mæotim paludem exire. et hunc Tanaim, sunt qui Asiæ & Europæ terminum statuant. namq; in Euxino ponto & Mæotis ipsa, & Tanais qui in eam illabitur, Asiam ab Europa diuidunt. quemadmodū fretum, quod inter Gades & Numidas interiacet, Lybiam ab Europa separat: nec secus quàm ipsa Lybia à reliqua Asia Nilo flumine dirimitur. Hic ex Macedonibus nonnulli pabulandi causa per agros uagati, à Barbaris interfecti sunt: qui mox ex ipsa cæde in montes aditu difficiles & confragosos se receperunt. hi ad XXX milia erant: aduersus quos Alexander assumptis expeditioribus totius exercitus celeriter profectus, cum magno conatu in collem niteretur, multis loci iniquitate primo ascensu uulneratis;

Maracanda.

Tanais flu. qui & Orxantes.

Tanais alter.

uulneratis, Macedones à Barbaris repellebantur. Ipse Alexander dũ se audacius in hostes infert, crus sagitta traiectus est. utcunq; tamen depulsis è colle hostibus locum cepit: quorum alij à Macedonibus interempti, alij è rupibus sese præcipitantes interierũt, ut ex tãta multitudine uix octo milia euaserint.

ARRIANI NICOMEDENSIS de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum, Liber Quartus.



AVD multo pòst ad Alexandrum profecti sunt legati à Scythis, quos Abios, quasi nullius patrimonij possessores uocãt: quos Homerus magnopere, ut iustissimos laudat. Hi Asiam incolunt. liberos maximè facit paupertas, & iustitia gentis, qua inter se utuntur. Eódem aduenere legati & à Scythis, qui Europam incolunt. Cum his legatis redeuntibus Alexander quosdam è suis misit, sub prætextu iungendæ cum Scythis amicitiæ & societatis: re autem uera, ut situm regionis, ut multitudinem eorum ac mores, & quo armorum genere uterentur cognosceret. Cogitabat iuxta Tanaim, urbem sui nominis condere. namq; loci natura ad magnæ ac opulentæ

Abii Scythæ de quibus Homerus Iliad.

opulentæ urbis sedem sibi peridonea uisa est: tũ per-opportuna ad bellũ Scythis trans amnem incolentibus inferendũ. Magnitudinẽ autem futuræ urbis tam ex ipso autoris nomine, quàm ex incolarum frequentia concipiebat. Dum urbem condit, finitimi fluuio Barbari in urbes suas præsidio missos hostiliter obtruncant, urbesq; communiunt. Quorum rebellione audita, Sogdianorum plurimi ab ijs sollicitati, qui Bessum antè comprehenderant, illis se protinus iunxerunt: ijq; Bactrianorum nonnullos in societatem defectionis facile ad se traxerunt, siue quòd Alexandrum timerent, siue ob rumores uulgò sparsos, Alexandrum eius defectionis causa ad Zariaspa urbem in Sogdianis pollentem, conuentus agere instituisse, eius gentis principibus uiris eò accersitis. id autem nullo commodo Sogdianorum fieri. Hæc ubi Alexandro nunciata sunt, scalis quàmprimũ per pedites parari iussis, primum Gazam urbem petit, quæ sibi à castris discedenti proxima erat. namq; in septem oppida eius regionis Barbari confugisse ferebantur. Craterum Cyropolim mittit, cæterarum urbiũ eius gentis amplissimam, in quam Barbarorum magna manus confluxerat: mandatis traditis, uti admotis propius castris, dispositisq; tormentis, urbem uallo fossaq; circundent: eo uidelicet consilio, ne cæteris urbibus circumuallati ferre opem possent. Ipse ut primum

Alexandria ad Tanaim condita.

Zariaspa urbs.

primum Gazam peruenit, ex itinere, quo magis oppidanos terreret, propositoq; pugnæ signo mœnia inuadi, scalasq; diuersis locis in circuitum inferri imperat. Tum funditores, sagittarij, ac iaculatores peditibus immixti, impetu facto eos qui de muro pugnabant incessere, atq; infestis telis petere, iacula quoq; machinis torquere. Quapropter muro defensore breui nudato, facile fuit scalas admouere. Ex quo Macedones haud difficulter murum conscendunt. quod fuit eo facilius, quòd murus è luto structus, humilisq; erat. Superatis mœnibus, Macedones urbem ingressi, mares omnes Alexandri iussu interimunt, fœminis, pueris, atq; omnibus Gazensium bonis in prædam datis. Deinde ad aliam urbem ducit, opulentia huic proximam, eodemq; modo conditam: eoq; die debellatam, maribus cæsis, militi diripiendam dedit. Tertiam deinde aggressus, postridie primo impetu cepit. Interim dum hasce urbes cum peditatu expugnat, equites ad duas reliquas uicinas urbes procul obseruatum mittit, ne qui inde egrederentur, per quos de captis urbibus scire possent, quo sibi persequendorum in fuga labor adimeretur. Oppidani postquàm ex fumo & trepidè fugientibus, urbem propinquam expugnatam esse cognouerunt desertam, dum gregatim fugiunt, in ipsum equitatum inciderunt: iiq; ferè omnes cæsi. Hisq; quinq;

Gazæ expugnatio.

oppidis

oppidis biduo captis, ac direptis, Cyropolim ducit, cæterarum urbium opulentißimam, ac celsiore muro communitam: utpote quæ à Cyro condita, eiusdẽ regia erat. in quam magna Barbarorum multitudo, & eorum quidem totius gentis pugnacißimorum se receperat. Et quoniam haud huiusmodi esse uidebatur, quæ primo impetu à Macedonibus capi posset: cogitabat Alexander tormentis admotis mœnia quatere, oppidumq; clandestino introitu superari posse, assumptis argyraspidibus, sagittarijs, & Agrianis. Barbaris in machinamenta & oppugnatores conuersis, clàm primo cum paucis per torrentis alueum ingreditur: refractisq; portis, quæ ad eam partẽ uergebant, confestim & alios milites introducit. Tum Barbari clamore hostium excitati, protinus in eos conuersi, prælium acre committunt: In ea pugna Alexander caput & ceruicem lapide percussus, Craterus sagitta, & alij quidam copiarum duces icti. At nihilominus Barbari è toto foro, in quo pugnabatur, à Macedonibus summoti sunt. Interim qui ab alia parte urbem oppugnabant, cũ muros ab oppidanis desertos conspicerent, strenuè conscendunt: et primo quidem tumultu captæ urbis, cæsi sunt ex hostibus circiter octo milia. reliqui enim ad quindecim milia in arcem confugerunt: qua circumsessa, cum propter aquarũ inopiam obsidionẽ tollerare nõ possent,

Cyropolis expugnatio.

Alexander uulneratus.

altero

altero die deditionem fecerunt. Septimum deinde oppidum adortus, primo insultu cepit. Ptolemæus ab oppidanis deditionem non expectato prælio factam scribit. Aristobulus autem, & hoc quoq; oppidum resistentibus oppidanis ui captum, maresq; omnes in eo comprehensos, obtruncatos: quos Ptolemæus ait in exercitum distributos, ac uinctos custodiri iussos, donec ex ea regione cum exercitu egrederetur: ne quis eorum qui rebellassent, in his locis relinqueretur. Dum hæc geruntur, Scytharum exercitus, qui in Asia erat, ut audiuit Barbarorum quosdam trans flumen incolentes ad Alexandrum defecisse, ad ripas Tanais accessit, eo consilio, ut si qua insignis nouitas in ijs locis fieret, in belli societatem contra Macedones coirent. Eodem tempore nunciatum est,

ἐν μαρακά-νδοις. *Spitamenem cũ copijs eos obsidere, qui † Maracandis præsidio relicti fuerant. Itaq; Alexander confestim aduersus Spitamenem, Andromachum, Menedemum, & Caranum mittit: & cum his ex equitatu amicorum ad sexaginta, ex mercenarijs octingentos, Carano duce: pedites mercenarios mille quingentos,*

Pharnuches Lycus. *quîs præposuit Pharnuchem interpretẽ, genere quidem Lycium, cæterum linguæ eius gentis peritum, & quoad cætera quæ in his locis agenda essent commodissimum. Ipse urbem, quam condere cogitauerat, intra uicesimum diem muro circumplexus, traductis*

eò

eò Græcis quibusdam mercenarijs, ac Barbaris finitimis, qui sola uoluntate in eam urbem è sedibus suis transmigrarunt: & item Macedonibus, quos ætas imbelles fecerat: sacrificio primum dijs, quibus consueuerat, rite perpetrato, equestres ludos ac gymnicos edidit. Verumenimuero cum intueretur Scythas à fluminis ripa non recedere, quin etiam sagittis cis flumen (quod in ea parte modicæ latitudinis erat) suos incessere, ac temere in se atq; exercitum probra iactare: Scythas metu non adire, cogniturum quid inter Scythas & Barbaros Asiaticos intersit: irritatus huiusmodi uocibus, flumen transire constituit, pellibus quibus trasueheretur exercitus parari iussis. Facto igitur pro transitu sacrificio, cum non litasset, extaq; aduersos exitus portenderent: quanquam ob eam rem commotus, prælio abstinuit: postquàm tamen pergentibus Scythis exprobrare ignauiam et timiditatem, & sacrificio rursus facto iterum sibi periculum portendi Aristander moneret, iam iræ impatiens: Satius est (inquit) periculo sese offerre, quàm tota penè Asia subacta, Scythis ludibrio & contemptui esse, quod Dario Xerxis patri olim accidisset. Tum Aristander regem commotũ intuens: Ego uero (inquit) rex, non ea quæ te maximè uelle existimem, sed quæ tibi diuinitus portẽdantur, dicturus sum. Alexander nihilominus paratis ad transitũ pellibus, Scythæ conuicia in Alexandrum.

& iam exercitu flumini instante, tormentis in Scythas ripis obequitantes procul iaculantibus: cũ quidam Scytharum uulnerati essent, unus etiam scutum & thoracem transfossus, & ex equo prolapsus, longinquo iaculorum iactu, simul strenui uiri nece perterriti, parumper à ripa retro cesserunt. Quos Alexander iaculorum coniectu perturbatos conspicatus, cum ingenti tubarum sono exercitu sequente flumen ingreditur: præmissis funditoribus ac sagittarijs, qui procul à ripa hostes arcerent, ne prius illi phalangi exeunti occurrerent, quàm uniuersus exercitus traiecisset. Omnibus autem transgressis, cũ equites mercenarios & iaculatorum turmas quatuor primum in Scythas immisisset, Scythæ ipsi plures circumfusi, eos impetu facto feriebant: simul, utpote expeditiores, haud difficulter in diuersa refugiebant. Quod ubi Alexander animaduertit, sagittarios & Agrianos, atq; alios leuiter armatos, quis Balacrus præerat:

De Balacro Curtius in 4. & 7. *tris præterea equitum ordines ex amicis, atq; omnes hastatos equites, eòdem mittit: ipse deinde cum reliquo equitatu hostes inuadit. Ac per hunc modum ludificandi potestas Scythis erepta est. nam equitatus ijs imminebat, & leuiter armati equitibus immixti, eos artibus suis uti non sinebãt.*

Scytharum cædes. *Tum Scythæ in fugam conuersi, circiter mille in pugna cæsis, & in ijs uno ex ducibus, Satrace nomine: captis ad CL.*

Erat in ea regione pestilens aqua. Itaq; cum fugientes Scythas insequeretur Alexander, & ex nimio labore, aestu ac siti fatigarentur, epota aqua, subita uentris solutio secuta. quae res Macedonas ab insequendis hostibus remorata est. Quod ni ita contigisset, omnes profecto aut interfecti fuissent, aut capti. Alexander in summum uitae discrimen adductus, retro unde mouerat, in castra relatus est. Atq; ita Aristandri uaticinium, quo praedixerat uitae regis periculum portendi, re comprobatum est. Haud multopòst legati à Scytharum rege ad Alexandrum accesserunt, factum excusantes: Non esse ei illata arma communi Scytharum consilio. illos qui iniuriam fecissent, spe praedae allectos, latrocinatum uenisse: regem paratum imperata facere. Quibus Alexander pro tempore humaniter respondit. Neq; enim è dignitate sua esse existimare, si de fide sua dubitari uideretur, non exire in aciem, Scythasq; bello persequi: quod eo tempore à rationibus suis alienum ducebat. At Macedones, qui Maracandis in arce obsidebantur, cum Spitamenes cũ copijs, quas habebat, in arcem impetum fecisset, subita eruptione quibusdam hostium interfectis, caeteris repulsis, incolumes sese in arcem receperunt. Postquàm uero eos qui ab Alexandro Maracanda auxilio obsessis missi fuerãt, nunciatum est Spitameni appropinquare,

Alexand. de uita periclitatus.

obsidione arcis destituta, ipse uersus regiam Sogdianorum contendit. quem festinãtius abeuntem, Pharnuches cum copijs sibi attributis ad Sogdianæ regionis montes insecutus, cum assequi non posset, Scytharum pastores temere adortus est. Quamobrem *irritatis Scythis, Spitamenes cum equites propè sexcenti eorum ad se accessissent, parumper constitit, acieq; ad Scythicæ solitudinis initiũ loco plano instructa, nec expectare hostes audebat, nec inuadere: sed Macedonum phalangem cum equitatu præteruolans, sagittis incessebat. Ac mox irruentibus in se Macedonibus, declinato impetu refugiebat. namq; equos & uelociores ad fugam, & recentiores habebat: cum quidem propter continuata itinera, & pabuli inopiam, equi Aristomachi laßitudine cõfecti essent: quos siue permanentes, siue retrocedentes Scythæ urgebant. Multis itaq; uulneratis, quibusdam etiam occisis, Macedones quadrato agmine ad Polytimetum amnem proximum sensim sese recipiebant: eo consilio, ut in syluam flumini circumiectam sese inferrent, quo Barbaris ludificandi potestate adempta, ipsi peditatu uti possent. Cæterum Caranus equitum præfectus, non communicato consilio cum Andromacho, transire flumen conabatur, tanquam tutiore loco equitatus esset futurus. Traijcientem pedites sequebantur, non cuiusquam imperio aut iussu, sed metu compulsi. ijq;*

temere

temere ac paßim, per altas ac præcipites ripas flumen intrabant. Quod Barbari conspicati, & ipsi à diuersis partibus uadum ingreßi sunt. & alij quidẽ eos, qui iam transierãt, persequebantur, ac sese in tutum recipiebant: alij oppositi, transire conantes in ipso flumine interficiebant. Quidam ab lateribus procul sagittis feriebantur: pars intrare parantibus instabant. Quibus difficultatibus undiq; circumuenti Macedones, in breuem quandam insulam refugiũt. Quos circumfusi cum equitatu hostes, procul sagittis interemerunt: præter paucos, quos captos occide runt. Aristobulus scribit, magnam Græcorum partẽ Scytharum insidijs oppreßam: qui in hortulis proximis abditi, ex improuiso superuenere. Pharnuchẽ ducatu Macedonibus, qui cũ illo erant, tanquam rerum bellicarum imperitum cedere uolentibus: illum magis ab Alexandro miβum propter linguæ cõmercium, ut Barbaros mansuefaceret, quàm ut eo duce in prælijs uterentur: se & Macedonas, et regis amicos esse. Cumq; Andromachus, Caranus, & Menedemus ducatum abnuerent, partim ne uiderentur regis mandata contempsiße, partim quod si quid sinistri euenißet, metuebant non solum de periculo suo, sed etiã ne totum exercitum sua culpa in discrimen adduxiße arguerentur. Perturbatis & altercantibus, ex improuiso superueniße Scythas, atq; eos occidiße,

Macedones a Scythis oppreßi.

ita ut ex equitatu non plus XL *de peditatu nõ ultra* CCC *seruati sint. Quibus* Alexandro *renunciatis, militum clade conturbatus, statuit confestim aduersus* Spitamenẽ *ac* Barbaros *ducere: assumptaq; parte equitatus amicorum, atq; argyraspidis, sagittarijs, & Agrianis, & è phalange expeditioribus, in Maracanda, quò* Spitamenem *reuersum obsidere arcem acceperat, magnis itineribus contendit: triduoq; mille & quingenta stadia profectus, quarto die sub ortũ lucis, haud procul ab urbe peruenit. Quod ubi* Spitamenes *agnouit, non expectato eius aduentu, destituta repente obsidione, inde abijt.* Alexander *uero eos persequebatur. atq; ubi eò peruenit, ubi pugna commissa fuerat, militibus pro loci conditione sepulturæ datis, eos fugientes* Alexander *ad Scythiæ deserta persecutus, cum non assequeretur, retro conuersus eorum agros depopulatur, interfectis* Barbaris *Macedonum necis conscijs, qui in loca munita confugerant: totamq; eam regionem, quam* Polytimetus *amnis irrigat, peragrauit. Namq; ubi sub terras penetrans arenæ sese ingerit, omnis ulterior regio siti deserta est. euanescit autem, cursumq; protinus sistit, quamuis ingentem aquarum molem uehat.* Nec *ipse modo* Polytimetus, *uerum & alij quidam magni ac perpetui amnes:* Epardus, *per* Mardos *excurrens:* Areus, *à quo* Arei *appellati:* Etymãder, *qui per* Euergetas

De Spitamene Curtius in 6. & 7. quem uxor inter fecit.

getas illabitur. neq; ullus harum Peneo Thessaliæ fluuio minor est, qui per Tempe effluens, in mare prorūpit. Polytimetus certe Peneo multo amplior. His rebus gestis Alexander Zariaspa summa iam hyeme profectus est: ibi milites in hybernis habuit. Interea ad eum profecti sunt Phrataphernes Parthorum satrapes, ac Stasanor ad Areos missus, ut Arsacem comprǽhenderet: quem uinctum, & cum eo Barzanem, quem Bessus Parthis satrapem constituerat, & alios quosdam, qui pro Besso sumptis armis defecerant, perduxerunt. Per idem etiam tempus accesserunt è maritima ora Epocillus, Melannidas, & Ptolemæus Thracum ductor: qui & pecunias cum Menete missas, et fœderatorum milites deduxerant: & item Asander, et Nearchus, cum Græcis mercenarijs: ac Bessus Syriæ satrapes, & Asclepiodorus equitum ductor, cum copijs à nauibus. Hic Alexander omnibus conuocatis, concione habita Bessum introducit. accusatoq; uehementer perfidiæ in Darium, nares amputari, aures mutilari imperat, Deinde fidis custodibus traditum, in Ecbatana mittit, ut Medorum Persarumq;, quorū regem prodiderat, sententia condemnatus, morte mulctetur. Ego uero hanc de Besso ultionem non multum probauerim. quin omnino eiuscemodi membrorum mutilationē efferatā potius, ac Barbaricā dixerim.

Peneus.

Adductum uero regem arbitror, Medicæ Persicæq; superbiæ æmulatione, & exemplo talium regum indulgentiæ, licentiæq; in populares suos: quæ quidem nec satis æqua, nec conueniens erat. Neq; illud minus absurdum putauerim, quod mutato patrio habitu, Persicam uestem assumpserit, cydarimq; regium capitis insigne eorum quos uicisset: cum se ex Herculis genere prognatum esse prædicaret. Cæterum siquid aliud, potissimum Alexandri res me admonet, quenquam, siue is uiribus polleat, siue genere excellat, siue fortuna Alexandrum exuperet, siue quis deuictæ Asiæ imperio (quod ille animo destinauerat) Aphricam adiungat, & cũ his Europam contineat, nisi moderatio animi adsit, fœlicem esse non posse.

Cydarim etiã Curtius uocat lib. 3.

Alexander ex Herculis genere.

Cliti casus.

Hoc igitur loco Cliti Dropidis casum enarrare, qui Alexandro magnã infamiæ notam attulit, quamuis aliquanto pòst acciderit, non alienum fuerit. Esse diẽ quendam sacrum Dionysio apud Macedonas ferunt, quo Alexander singulis annis ipsi Baccho sacrificare consueuisset. Eo die Alexandrũ neglecto Dionysio, Castori ac Polluci facto sacrificio uota persoluisse. conuiuioq; instituto, & in longum Barbaro more protracto, iam immutatis ipsius moribus, omnibus uino incalescentibus, in sermonem de Castore & Polluce uentum esse: quo'nam modo eorum origo à mortalibus in Iouem patrem relata esset. quosdam etiam

ex

ex præsentibus adulandi causa Alexandrum Castori & Polluci contulisse: ut sunt hominũ studia in assentationem, regum perniciem, semper prona. Nec defuisse, qui ipsum Herculi comparandum dicerent: sed inuidiam uiuentibus obstare, quo minus illi debiti honores tribuerentur. Non erat obscurum, Alexandri ad Barbaros mores transitionem, regiq; adulantium uoces Cliti graues esse. Tum etiam uino stimulante percitum Clitum, ferre non potuisse, dijs contumeliã fieri: Heroumq; res gestas, quo Alexandri aures demulcerent, deprimi. Non esse res Alexandri tantas, aut tam admirabiles, quantum illi uerbis efferrent, quinetiam Macedonas partæ ab illo gloriæ consortes esse. Hæc atq; huiusmodi Cliti uerba Alexandro grauia fuisse, & ob id dixisse (quod ego tamen haud laudauerim) Adulatoribus neq; assentiendum, neq; aduersandum esse. Postquàm uero sermone producto, & in Philippi patris mentionem uentum est, temere illius facta, uti Alexandro placerent, deprimentibus: tum Clitus in furorem uersus, prælatis Philippi rebus, exprobrare cœpit Alexandro, equestri prælio apud Granicum amnem commisso à se seruatum esse. simul manum extollens: Hæc te (inquit) Alexander tunc dextra seruauit. Quibus uerbis Alexander cõmotus, iræq; impatiens, repente consurgit, cumq; à circumstantibus teneretur, nõ desinebat tamẽ Cli-

Adulatores, regum pernicies.

De Polluce & Castore aliũ non memorant.

tus contumeliosas & turbulentas in eum uoces iactare. Cumq; Alexander argyraspidas appellans inclamaret, accedente nemine, in eundem se statum redactum esse uociferari, quo Darium à Besso comprehensum: nec quicquam iam amplius sibi, quàm regium nomen non superesse. Qua uoce audita, cum esset dimissus, correpta lancea, uel (ut alij uolunt) sarissa è manu cuiusdam ex circumstantibus, Clitum transuerberatū interemit. Aristobulus, unde hæc temulentia incesserit, non ostendit: sed Clitum modo in culpa fuisse asserit, quem cum per portam trans muros et fossam arcis Ptolemæus Lagi repente subduxisset, denuo reuersus, ac se Alexandro illum inclamanti nomine offerens: En tibi Clitum, quem petis ô Alexander, inquit. Ego uero ut Clitum de contumelia in regem reprehendendum censeo, ita & Alexandrum, qui se à duobus maximis in uita uitijs, ira atq; ebrietate, quæ uel priuato homini turpißima sunt, superari passus sit. Rursus Alexandrū laudauerim, quòd eum mox posito uino resipiscentem, pœnitentia facti cœperit. Sunt enim qui tradant, eum facinore quod patrarat animaduerso, hastæ illi qua Clitum occiderat, moriendi animo incumbere uoluisse: tanquam sibi haud amplius honestum esset inter homines uiuere, qui amicū hominē uita priuasset. uerū ab amicis retentum. Sed scriptorum pleriq; nulla de hac

Cliti interitus, de quo Curtius in 7. & Plutarch.

Plutarch. negat Alexandrū uinosum fuisse. Curt. ita mē, & Arrianus ibi, et Iustin. omnesq; fere alii, eum uino deditum fuisse affirmāt

hac re mentione facta, tradiderunt, postquàm resipiscens ad se rediit, illũ multo cũ eiulatu supra lectulũ se inieciſſe, Clitũ nomine crebro cõpellantẽ, ac Lanicem Cliti sororẽ Dropidis filiã, nutricẽ suã, uirũ se factũ pulchra illi pro lactis alimentis præmia, pulchramq; mercedem pro alijs secũ militantibus interfectis redditurũ, qui fratrem eius sibi chariſsimum sua manu intermiſſet, interfectorẽ se amicorum clamitans: eoq; pœnitentiæ atq; indignationis proceſsiſſe, ut cibo ac potu triduũ abstinuerit: ac perseueraturus in eadẽ inedia fuerit, nisi ab amicis consolantibus, & in Clitũ facti culpã referentibus, à suscepto moriendi consilio retractus fuiſſet: quorũ hortatu egrè tandem cibũ cepiſſe, ac protinus Dionysio sacrificaſſe, cuius ira uates aiebant id eueniſſe, quòd sacrificium eius stato die neglexiſſet. Ego uero ut Alexandri factũ damnauerim, ita errati confeſsionem, & pœnitentiã laudandam puto. Sunt autem qui scribant, Anaxarchum sophistã consolandi causa ab amicis accersitum ad eũ ueniſſe. Cumq; in lectulo iacentẽ ac suspirantẽ offendiſſet, oborto risu dixiſſe: Ignorari à mortalibus, cur sapiẽtes iustitiam Ioui aſsistentẽ fecerint. id uidelicet ab ijs ea ratione excogitatũ, ut quicquid ab ipso Ioue decerneretur, id iuste factũ putarẽt. oportere igitur, quæ magno à rege fierent, iusta existimari: primum quidem ab ipso rege, deinde à mortalibus cæteris.

Lanicem hãc uocat Curtius m7.

Quæ

Quæ cũ dixiſſet, Alexandrum tanquam uera eſſent, nonnihil mœrore releuatum eſſe. Cæterum in ſummum errorem, & grauiorem eo in quem inciderat (ueluti ego exiſtimo) Alexandrum induxit, ſi illam putauit eſſe ſapientis uiri ſententiam, Non oportere regem cũ delectu iuſta agere: ſed quicquid ab eo agatur, decernatur'ue, qualecunq; id ſit, iuſtum habendũ eſſe. Nam & uoluiſſe ſe pro deo haberi, coliq; Alexandrum fama eſt: ut qui magis Ammonem patrem, quàm Philippum, aut credebat, aut certè credi uolebat. Sed cum iam patrijs moribus relictis, in Medorũ ac Perſarum mores tranſiſſet, cultumq; corporis Perſicum induiſſet, non uidebatur ob eam rem ullis adulatoribus, ac ne ſophiſtis quidem, ſiue Anaxarcho, ſiue Agide poëta Argiuo indigere. Hæc aũt non probabat Calliſthenes Olynthius, Ariſtotelis auditor, quanquam moribus aliquantũ agreſtior: ſed potius, ut à rege aliena, deteſtabatur. Cui ut prorſus in hac re aſſentior, ita in eo quod Alexandrum & Alexandri facta, ſe & ſuis ſcriptis inferiora eſſe prædicabat, ſi ita eſt, ab illo diſſentio. Sed non iccirco ad Alexandrũ acceſsiſſe, ut ſibi gloriã cõpararet: ſed uti Alexandrũ inter mortales illuſtrem & glorioſum redderet. nec Alexandrum in eam opinionem ac ſpem diuini honoris, ex ijs quæ ex Olympiade matre de conceptu ſuo audiſſet, ſed magis ex his quæ de eo ſcripſiſſet, erectũ eſſe.

Agis. Calliſthenes. de hoc etiam Plutarchus.

esse. Sunt etiam qui scribant, cũ aliquando à Philota interrogatus esset, quem maxime putaret ab Atheniensibus in honore haberi: respondisse, Harmodium et Aristogitona, eo quod sublata tyrannide alterum ex tyrannis interfecisset. Cumq; rursus ex eo Philotas quæsisset, Num ei qui tyrannum occidisset, tutũ esset apud omnes Græcos profugium? respondisse, Quandoquidem nusquam alibi, at apud Athenienses certò esse. Illos aduersus Euristheum Græciæ tyrannum pro filijs Herculis bellum suscepisse: quó nam modo etiam Alexandro, Persico more se adorari petenti, restiterit? Hæc accepimus, Alexandrum ac Sophistas, & ex Persis ac Medis illustriores, qui apud se essent, inter potandum in huiusce rei mentionem ex composito uenisse: Anaxarchum uero dicere cœpisse, multo æquius quàm uel Herculem, uel Dionysium, Alexandrum deum haberi: idq; non modo propter magnitudinem atq; præstantiam rerum gestarum, uerumetiam quòd Dionysius Thebanus fuisset, genus hominum Macedonibus haudquaquam uirtute ac fama comparandum: Herculem uero Argiuum. nec ipsum conferendum, nisi quòd Alexander genus ab eo duceret. Iustius itaq; esse, regem suum Macedonas diuinis honoribus excolere. Neq; enim dubitandum esse, postquàm Alexander è uita concessisset, fore uti à mortalibus inter deos referretur. Quanto igitur

Alexander maior Dionysio & Hercule.

igitur æquius, adhuc uiuentē diuino cultu prosequi: quandoquidem post mortē nullus ad eū fructus ex impensis honoribus esset accessurus. Hæc atq; huiusmo*di cū Anaxarchus dixisset, & Barbari consentientes incipere seuelle Alexandrū adorare dicerent, Macedones circumstantes, quibus id graue esset, mœstum silentium retinuere. At Callisthenes lingua liberior: Ego uero (inquit) ô Anaxarche, Alexandrum nullo prorsus honore humano indignū censeo. cæterū diui ni atq; humani honores definiti sunt. Ad deos quidē pertinent templa, statuæ, luci, sacrificia, libationes. rursus hymni deorum sunt, laudes hominū. homines quidem à salutantibus osculari mos est: diuinitas aūt, quoniam in supernis sedē suam tenet, neq; fas est eā à mortalibus contingi, propterea adorando colitur. Dijs etiā chori, et pæanes celebrantur: nec est mirādum, quòd alijs alij honores superis instituti sint, cū et Herouum quoq; honores à deorū cultu differāt. Nō itaq; decet hæc confundi, & mortalē quempiam per honorum excellentiam supra humanū modū extolli, opprimi indignè deos: quod fit, si dijs & hominibus par honor tribuatur. Neq; enim pateretur Alexander, priuatū hominem honores regiæ maiestati debitos, suffragijs illegitimis usurpare. Quapropter magis par esset indignari deos, si quis diuinos honores aut ipse sibi adstruat, aut persuasus recipiat oblatos.*

Callisthenis animosum responsum.

Honorū diuinorum & humanorum discrimen.

latos. Alexandrum quidem haud ambiguum, haud multum à perfecto uiro abesse, eumq; inter bonos optimum, inter reges principem, inter exercituum duces imperio dignum ante omnes uideri. Te uero, ô Anaxarche, si quisquam est quem deceat, maxime oportuit hos atq; huiusmodi sermones Alexandri auribus infundere, eumq; oratione tua à contrarijs rebus deterrere: cuius ille quotidiana consuetudine propter sapientiam & eruditionem utitur. Huius inquam, sermonis non decuit autorem te esse: sed potius meminisse, te non id Cambysæ, aut Xerxi suadere, sed Alexandro Philippi filio, ex Achillis atq; Herculis genere prognato, cuius proaui ex Argis in Macedoniam profecti, non ui, sed lege regnũ tenuerant. Quin etiam nec ipsi Herculi, cum adhuc inter mortales ageret, diuinos honores Græci exhibere sustinuerunt: imò ne mortuo quidem, antequàm Delphicus Apollo ipsum pro deo habendum esse iusserit. Quòd si ex eo, quoniam inter Barbaros uersamur, oportet Barbaros sensus induere: tum te oro Alexander, Græciæ ut memineris, cuius gratia hæc omnis expeditio abs te suscepta est, uti eius imperio & gloriæ Asiam adijcias. Nunc iam cogites necesse est, ubi in Græciam reuerteris, an Græcos, liberrimos populos, te uti adorent cogere statueris: an ijs hoc munere absolutis, Mace-

Alexandri genus.

Macedonas tantum hac contumelia oneraturus sis: uel potius distinctis pro diuersitate gentium honoribus, à Græcis quidem ac Macedonibus patrio more, à Barbaris uero Barbarico ritu coli uelis. Sin illud obijciatur, Cyrum Cambysæ filium primum mortalium omnium à Persis ac Medis diuinis honoribus affectũ: cogitare oportet, eundem Cyrum à Scythis, pauperibus ac liberis hominibus castigatum: Dariũ priorem ab alijs Scythis: Xerxem ab Atheniensibus ac Lacedæmonijs: Artaxerxem à Clearcho ac Xenophonte, cum decem modo milibus hominum: hunc autem Darium ab Alexandro, humanis adhuc honoribus contento. Hæc atq; huiusmodi magna quadam eloquentia & libertate linguæ disserentem Callisthenem, Macedones libenter audierũt. quo cognito Alexander conturbatus, continuò ad Macedonas misit, qui ambirent, uti adorationis memores essent. At Persæ consurgentes, ij qui dignitate præstabant, regem ex ordine Persico ritu adorare cœperũt. Cumq; Leõnatus, unus ex amicorũ cohorte, Persam quendã indecorè adorantem conspexisset, ob idq; gestum illius ut ineptum irrisisset: rursum indignatus, adorare cæteros uetuit. Sunt qui scribant, cũ Alexander phialam auream in corona propinaret, ijs prius propinasse, quibus cum de se adorando conuenisset: singulos postquàm libassent, adorasse eũ simul, & osculatos

Cyrus primus diuinis honoribus affectus.

Alexandrum Persæ adorant.

latos esse. ubi ad Callisthenem uentum, exurrexisse illum ac libasse, & omissa adoratione Alexandrum osculari uoluisse. Forte autem tunc sermonem rex cū Ephæstione habebat: & ob eam rem minus aduertebat, quæ ab illo fierent. Itaq; fallere regem potuisset, ni Demetrius Pythonactis unus ex amicis Alexandrum monuisset, non esse eum functum adorationis officio. Quam ob rem Alexander appropinquantem ab osculo reppulit. Tū Callisthenem commotum dixisse ferunt, osculo uno nō plus amisso hinc facessam. Ego uero, ut nihil omnino earum rerum quæ ignominiam Alexandro afferrent, ita nec duros Callisthenis mores ullo modo probo. Sed illud asseuerauerim, si quis deseruire regi cuiquam in animum inducat, illius decori & gloriæ seruiendum esse. Quapropter non omnino alienū, neq; mirum existimo, si Alexander in Callisthenem propter importunitatem et arrogantiam exarserit. Ex quo licet coniectare ijs qui eum accusabant, quòd insidiarum quas pueri in Alexandrum parassent, conscius fuisset, facile creditum. Insidiæ uero huiuscemodi fuere. Erat iam ante à Philippo institutum, uti nobilium Macedonum filij, postquàm adoleuissent, ad regios usus deligerentur: hi regi ministrabant, cubantē asseruabant, equos adducebant, Persico habitu ornati: uenanti comites ibant, assectabantur. In his erat Hermolaus Sopo-

Plutarchus in Alexandro hæc omnia.

Demetrius hic cognomē to Phidon, ut Plutarch. au.

Insidiæ in Alexandrum.

Filii nobilium ad regios usus deligebantur, quod etiam ait Q. Curtius afferit.

m lidis

lidis philosophiæ amator, & ob eam rem Callisthenis stud. osus. Hunc Sopolidem fama tenuit, cum aliquando Alexander uenatum isset, & aper occurrisset, in feriendo apro Alexandrum præuenisse, apru uulneratũ repente cecidisse. indignatum regem, opportunitatẽ feriendi apri sibi præreptã, adolescentẽ per iram cæteris pueris spectantibus uerberari, eiq; equum adimi iussisse. Eius contumeliæ causa Hermolaum ira succensum, apud Sostratũ Amyntæ coætaneum & amatorem suum conquerentem dixisse, E-mori decreuisse, nisi Alexandrũ ulcisceretur. Amanti facile persuasisse, ut particeps & adiutor tanti facinoris fieret. Sostratũ deinde Antipatrũ Asclepiodori, Epimenem Arsæi, Anticleum Theocriti, Philotam Carsidis Thracẽ in societatẽ sceleris illexisse. Quibus strenue operã pollicitis, conuenisse inter coniuratos, ut qua nocte regis corporis custodia Antipatro euenisset, Alexandrũ dormientẽ interficerẽt. Contigisse uero, ut quidã tradunt, ut Alexander totã eam noctẽ insomnẽ in potationibus ad lucem usq; perduxerit. Aristobulus scribit, mulierẽ quandã natione Syram, quæ interdũ Apollinis furore correpta, futura prædicens Alexandrũ sequebatur, primo regi ac cæteris ueluti leuem ac uanam irrisui fuisse: mox ut eius uaticinio ex multis exemplis comprobata est, iam non amplius contemptui habitam, permissumq; ei, siue

Equi adempto contumeliosa.

Hermolaus ab Alexandro pulsus. Hoc idẽ Curtius in 7. & Plutarchus.

Alexander a muliere seruatus. idẽ Curt. in sequentia omnia.

siue noctu siue interdiu uellet, ad regẽ ingredi: quinetiam quiescenti sæpe propter aßistere solitam. Hanc tum forte cum numine impleta esset, regi è conuiuio recedenti obuiam factã orasse, uti ad conuiuias reuerteretur, ac reliquam noctem ibidem ageret. Alexandrum suspicatũ diuinos hosce monitus esse, continuò ad conuiuias reuersum, conuiuio in lucem protracto. Adolescentium consilia frustrata. Postridie Epimenẽ Arsæi insidiarum participem, Charicli Menandri olim amatori suo rem aperuisse: Chariclem Eurylocho Epimenis fratri. Exinde Eurylochum ad Alexandri tabernaculũ profectũ, ad Ptolemæũ Lagi, Ptolemæũ mox consilia ad Alexandrũ detulisse. Quo cognito Alexandrũ coniuratos comprehendi iußisse: illos quæstione habita de se confessos esse, alios quosdã nominasse. Aristobulus asserit, Callisthenem in his criminatum, ueluti iam temerarij consilij autorem: quod & Ptolemæus affirmat. Sunt quoq; qui de hac re nihil scribant. Sed id tantum Alexandrum propter ingens odium, quod iam in Callisthenem animo conceperat, & Hermolai consuetudinem, haud difficulter persuasum, illum coniurationis conscium fuisse. Alij qui etiam tradunt, Hermolaum inter Macedonas productum, propalàm confessum, structas à se Alexandro insidias, neque enim amplius libero homini Alexandro cotumelias ferendas esse.

omniaq; à se ex ordine, quæcunq; superbe & crudeliter perpetrasset, enumerata: iniustam Philotæ mortem, Parmenionis patris & eorum qui nunc necabantur iniustiorem: Cliti per temulentiam necem, patrij cultus mutationem, tum adorationem expeditam: ad hæc potationes, somnos, ac luxus. quæ cum diutius tolerare non posset, uoluisse semet ac cæteros Macedonas tam graui seruitute liberare. Tũ Hermolaum, & cæteros comprehensos, lapidibus obrutos. Callisthenem uero Aristobulus scribit, compedibus uinctum duci iussum, paulo pôst morbo correptum interijsse. Ptolemæus primo tortum, deinde suspensum uitam finisse. ita nec hi quidem scriptores, quorum magna est autoritas, quiq; tum ambo apud Alexandrum essent, de re tam manifesta consentiunt: ut mirandum non sit, si cæteri scriptores non eodem modo ista narrauerint. Sed de his ista dixisse satis sit: quæ licet haud multo pôst tempore facta fuerint, cum in Cliti mentionem uenissemus, huius loci ac temporis huiuscemodi narrationem magis esse existimaui. Vt autem ad rem redeam, à Scythis denuo legati uenere, Europam incolentibus, cum his quos ipse ad eosdem Scythas miserat. Veniebant enim legati Scytharum à fratre eius, qui oratores ad Alexandrum miserat. namq; is qui prius regnabat, interim dum legati Alexandri proficiscuntur, è uita excesserat.

De Clito Valer. Maxim. lib. 9. cap. de ira & odio.

Callisthenis mortẽ Plut. in Alex. Curt. in 7. Iustin. 15. narrant.

Curtius paulo aliter.

rat. Summa legationis fuit: Scythas paratos esse Alexandro imperata facere, muneraq; amplißima afferre. Ad hæc, regem filiam suam in amicitiæ ac societatis pignus Alexandro uxorē polliceri: quam si uxorē dedignaretur, Scytharū se principū filias, & alio rū quicunq; inter Scythas dignitate excellerent, ijs quos Alexāder chariores haberet, matrimonio copulaturū. quinetiā et se quoq;, si is ita uellet, accessurū, uti quæ per legatos sponderet, præsens cōprobaret. Per eosdem dies Pharasmanes Chorasmenorū rex, cū equitibus M D. qui se finitimum Colchis atq; Amazonibus aiebat esse, ad Alexandrū profectus, pollicitus est ei, si regiones illas adire in animo haberet, gentesq; Euxini ponti accolas imperio suo subijcere, se & ducem itineris fore, & in exercitum cōmeatum paraturum. Alexander primum ad Scytharum legatos usus est oratione benigna, ac maxime tempori accommodata: Coniugis se Scytharum non egere. Deinde Pharasmane amplißimis uerbis laudato, & in amicitiā ac societatē recepto, non dari sibi in Pontum excundi opportunitatem respondit. Cæterum adducto in colloquium cum Artabazo Persa, cui Bactrianas res commiserat, & cum cæteris qui erant Artabazo finitimi, cum à se dimisit, edoctum, sibi tū in animo esse res Indicas: quibus expeditis, tota se Asia potitū, in Græciam reuersurum: atq; inde per

 Helle-

Hellespontum ac Propontidem cum omnibus copijs naualibus ac terrestribus, Euxinum pontum petiturũ, quo tempore opera atq; opibus eius uti statuisse.

De Oxo flu. uide Plutar.

Post hæc rursus ad Oxum flumen iter rapit. decreuerat enim in Sogdianos proficisci, quoniam Sogdianorum multi in loca munita confugisse ferebantur: nec parêre illi, quem ijs præsidem constituerat. Vbi ad Oxum uentum est, non procul ab eius tabernaculo castris positis, gemini fontes, alter aquam, alter oleũ fundens, repente exorti sunt. Quod ubi Alexander Ptolemæo cognouit, facto sacrificio, cum uates consuluisset, olei fontem laborem quidem, sed uictoriam promittere Aristander ait. Itaq; Poliperconte, Attalo, Gorgia, ac Meleagro apud Bactra relictis, quo Barbarorũ alios à rebus nouandis deterrerent, alios adhuc resistentes opprimerent: ipse cum reliquo exercitu in Sogdianos ire perrexit. & in quinq; partes diuisis copijs, tribus partibus Ephæstione præposito, quartam Cœno & Artabazo ducendam dedit. ipse cum cæteris, Maracanda proficiscitur. Illi igitur profecti, prout cuiq; sors dedit, loca munita in quæ Sogdiani confugerant aggressi, deditionem uoluntariè facientibus in fidem receptis, cæteros qui resistebant ut parêre coëgerunt. Post quàm uero uniuersus exercitus maiore parte Sogdianæ prouinciæ peragrata, Maracanda conuenit, Ephæstionem misit, qui

in

in urbes Sogdianorum desertas colonias deduceret, Cœnum & Artabazum aduersus Scythas, quod nunciatum fuerat, Spitamenem ad illos profugisse. ipse cum reliquo exercitu, cætera oppida quæ resistebāt adortus, haud difficulter subegit. Dum hæc aguntur, Spitamenes & cum eo nonnulli Sogdianorum exules, ex ijs qui ad Scythas se contulerant, Massagetis equitibus sexcentis sibi adscitis, in Bactrianos repente profecti, Phrurarchum præsidij præfectum nihil tale suspicantē capiunt, præsidio omni cæso. Quo successu animis sublati, paucis pôst diebus Zariaspa profecti, quia urbem aggredi non audebant, aliquanto procul subsistentes, agro latè populato, cum magna præda discedebant. Erāt in ea urbe equites nonnulli ex amicorum ordine, quos inualetudinis causa Alexander præsidio reliquerat, & cum his Pithon Sosiclei regiæ familiæ præfectus & Aristonicus citharœdus. isq; repentina Scytharum incursione cognita (iam enim morbo leuati arma ferre poterant) cum equitibus circiter octoginta mercenarijs, & item ex regijs adolescentibus, hostes inopinantes aggreßi, ablata præda plerosq; eorum ceciderunt. Redeuntes cum præda incompositi (ut fit) nullo certo autore, aut duce, Scythæ, qui in insidijs à Spitamene locati fuerant, improuiso adorti septem ex amicis, de mercenarijs equitibus LX interemerunt. Aristo-

nicus quoq; citharœdus, qui in ea pugna non citharœdum se, sed uirum strenuum gesserat, Pithone ab hostibus capto confossus est. Hæc ubi Cratero renunciata sunt, celeriter cum suis aduolat. At Massagetæ ut illum appropinquare acceperunt, arrepta fuga discessere. quos Craterus insecutus, cum haud procul à solitudine nactus esset, atroci prælio commisso, Scythæ in fugam uersi sunt. centũ & L equitibus cæsis, reliqui solitudinis propinquitate seruati, Macedonibus persequendi facultate adempta. Inter hæc Alexander Artabazo petenti, à præfectura Bactrianorum propter senectutem absoluto, Amyntam Nicolai in eiusdem locum suffecit. Cœnoq; ibidem relicto cum suis ac Meleagri copijs, ex amicorum equitatu circiter CCCC hastatis equitibus, tum ex Bactrianis ac Sogdianis, alijsq; quis Amyntas præfuerat, eos omnis Cœno parere, & in Sogdianis hybernare iussit, ut regioni præsidio essent, si forte se per hyemẽ Spitamenes in ea loca conferret. qui ubi agnouit omnia undiq; loca Macedonum præsidijs teneri, sibiq; fugam difficilem, in Cœnum sese uertit, ueluti ab ea parte facilius erupturus. Inde Gabas profectus, Sogdianorum oppidum, natura munitum, & in Massagetarum ac Scytharum finibus opportune situm, ad tria milia Scytharum equitum facile in belli societatem traxit. Horum Scytharum mira inopia est, mi

Pithonis interitus.

Gabæ.

nimo

nimo contenti uiuunt: simul quia neq; urbes, neq; certas sedes habent, neq; quod suum sit poßident, cuius amore teneantur: facile ad alia atq; alia bella inducuntur. Postquàm Cœno nunciatum est Spitamenē aduentare, cum omnibus copijs obuiam profectus, acri prælio commißo Barbaros fudit, cæsis supra octingentis, de suis equitibus non plus XXV. *peditibus* XII *desideratis. Secundum hanc pugnam Sogdiani, qui pugnæ superfuerant, & item ex Bactrianis pleriq;, in ipsa fuga destituto Spitamene ad Cœnum reuersi, sese in illius fidem dederunt. Maßagetæ uero, & Scythæ, qui infeliciter pugnauerant, Bactrianorum ac Sogdianorum sarcinis direptis, cū Spitamene sese in solitudines citatim recipiebant. Cæterum postquàm acceperunt Alexandrum aduentare eo consilio, uti deserta penetraret, interfecto Spitamene, caput eius ad Alexandrū mittunt, tanquam illum hoc facto ab insequendo auersuri. Interim Cœnus & Craterus Nautaca ad Alexandrum reuerterunt: & Phrataphernes, & Stasanor, ille Parthorū, hic Areorum satrapes, cum copijs sibi attributis, ijs quæ mandauerat Alexander perfectis. Alexander apud Nautaca in hyberna ducto exercitu, quoniam per id anni tempus res geri non poterat, Phrataphernem in Mardos ac Tapiros mittit, qui Phradatem satrapem (qui sæpius ad eum uenire iussus non* Spitamenis interitus.

paruerat) uinctum adducant. In Drangas Stasanorem præsidem mittit, in Medos Atropatem: quoniã Exodates eius prouinciæ satrapes, rebus nouis studere uidebatur. Stamenem uero Babylonẽ ire iubet, propter Mazæi Babylonij equitum ducis renunciatã mortem. Sopolim & Spocilum & Menædam, in Macedoniam, qui milites ad se ducant. Similiter imminente uere, ad petram in Sogdianis sitam cum copijs proficiscitur: in quam Sogdianorum multos confugisse audierat. atq; in his Oxyarti Bactrani, qui ab eo defecerat, uxorem filiasq́;: quòd is locus naturali situ munitissimus, nulla ui capi posse putaretur. Nãque ea arce capta, nihil reliquum Sogdianis fore uidebatur, quod eos ad rebellandum inuitaret. Eò profectus, comperit Barbaros commeatus in longinquam obsidionem importasse. Ea petra undiq; præcisa ac præceps erat: niuium altitudo, quæ illius cacumen obtexerat, Macedonibus importuna, aquarum copiam Barbaris suppetebat. Et quamuis nec humanis uiribus, nec operibus ullis superari posse uideretur: tamen irritatus præferoci Barbarorum responso, simul gloriæ cupidine succensus, si quæ natura contra omnem uim munierat ipse expugnasset, experiri uires statuit. Nam cum primo euocasset in colloquium Barbaros, salutem pactus, si è petra excederent: per contemptum respondere, uti alatos sibi milites

Sogdianorũ arx.

Barbarorum ferox responsum.

milites quæreret, ueluti mortalium nemo scandere eò posset. Tum Alexander ira stimulatus, per preconē pronunciari iubet: Primo omniū, qui in petrā euaderet, XII talenta: secundo item, ac tertio, deinceps cæteris sua præmia: postremo, CCC. Daricos præmiū fore. Quo proposito Macedones suopte ingenio gloriæ auidi, aliquāto etiā magis incensi sunt. Ex his Alexander ad CCC delegit, scandēdis muris assuetos. Hi præparatis uectibus ferreis, quibus infixis ad alligatis funibus corpora suspensa subleuarent, noctu quà suspensior ac abruptior petra erat, & ob id negligentior, præfixis uectibus ubi maximè commodum uidebatur, in eam niti incipiunt, summoq; labore per abrupta atq; inuia reptantes uerius quàm euntes, sub lucem in summam rupem euadunt, XXX ex ijs qui alta niue obruti postea reperti sunt desideratis: occupatumq; petræ uerticem, lintea circum capita rotantes (ita enim iussi fuerant) ijs qui in castris erant significant. Quo animaduerso Alexander confestim mittit, qui denuncient ijs qui petræ aditū custodiebant, ne diutius deditionem differant: inuentos esse alatos milites illos, quos dixissent, & ab his petræ cacumen insideri. quorum aspectu inopinato Barbari in stuporem uersi, cum plures & armatos putarent esse, deditione facta petram protinus deserunt. in ea Oxyarti uxor ac liberi capti. Datici nummi.

Erat

Rhoxane. de qua Plut. Curtius, & alii.

Erat Oxyarti filia Rhoxane, scriptoru omniu consensu, post Darij uxorem, omnium quas terra Asia haberet formosissima. cuius uisæ pulchritudinem quamuis adamasset, tamen ne captiuitati mulieris per contumeliam illusisse uideretur, non prius attigit, quàm eam sibi iusto matrimonio copulauerit. Hoc ego Alexandri factum iure magis laudandum, quàm reprehendendum censuerim. Atqui uxoris Darij, quæ pulchritudine omnes anteibat, aut desiderio non est motus, aut animi moderatione se ipse uicit, repreßitq; gloriæ studio. quanquam in summo ætatis flore, & fœlicitatis: quæ maxime solet uictorum animos à recto & ab honesto distrahere, ut alienæ pulchritudini facile illudant. Quapropter & nunc fama obtinet, paulo pòst pugnam quæ ad Issum fuit, Eunuchum Darij uxoris deceptis custodibus, ad Darium fugisse: quem ut uidit, primū quidem percontatum esse, Filij'ne & uxor ac mater uiuerent? quas cū uiuere, ac reginas uocari, & in pristino honore haberi accepisset: rursus quæsiuit, an per Alexandrū uxor casta esset? q. cū Eunuchus iureiurando affirmasset, Alexādri bonitatē ac cōtinētiā laudibus propè diuinis efferens: tum Dariū sublatis ad cœlū manibus, Te Iupiter rex, qui regib. inter homines præes, quiq; eorū opes conseruas, oro quæsoq; uti quod mihi dedisti Medorum ac Persarum regnum imperiumq;

Alexandri in uxorem Darij continentia.

Hæc omnia pulchre imitatus Curtius

riumq; conserues. Sin autem tibi secus sententia est de regno meo, aliumq; regnare mauis, tũ te oro obtestorq;, uti Alexandrum potius quàm alium quenquam eius compotem facias. Ita ne ab hostibus quidẽ, quod honeste quis agit, negligitur. Oxyartus ut audiuit Petram, & in ea suos captos esse, Rhoxanẽ uero filiam ab Alexandro uxorem haberi: confestim ingenti spe commotus, cum ad eam profectus esset, in magno (ut par erat) propter affinitatẽ honore apud illum fuit. His apud Sogdianos gestis, Alexander ulterius in Paratacas processit. In ea namq; regione aliam petram natura munitissimam ferebant esse, in quam pleriq; Barbarorum situ freti confugissent. Ea Chorienis appellabatur: in quam & ipse Chorietes, & multi secum populares sui se receperãt. Erat eius altitudo ad XX maximè stadia, per ambitus circiter LX. Ipsa undiq; suspensa, & confragosa, uno tantum calle, & eo quidem perangusto, ac manu facto, uixq; singulis militibus peruio. Hanc quoq; munitiorẽ faciebat ingens quædam circuitu sylua, quam ut opera admoueri possent, prius cædi necesse erat. In tantis tamen difficultatibus Alexander opus aggredi instituit, nihil omnino sibi inaccessum aut inuictum existimans, eò fiducia ob perpetuam fœlicitatem processerat. Cæsa itaq; primũ materia (multæ enim ac proceræ abietes circa petram erant) scalas fieri

Chorienis petra.

fieri imperat, neq; alia euadendi in petram facultas erat. Et interdiu quidem Alexander operi instabat, cum dimidia exercitus parte: noctu uero reliquo exercitu in tris partes diuiso, Perdiccas, Leonnatus & Ptolemæus per uices opus curabant: nec per diē plus XX cubitis, noctu paulominus, quamuis uniuerso exercitu operante (tanta erat difficultas operis) efficiebant. scandendo gradatim palos figebant, inter se distantes, quantum satis esse ad sustinendum pondus intectum uideretur. quo facto, superiniectis cratibus, iisq; ingesta humo, ponte iungere conabantur petrā, quo ueluti per plana exercitus transiret. Barbari ab initio hostiū conatus tanquam uanos irridere. Postquàm uero sagittis peti cœperunt, nec ipsi iam poterant opus facientes superne lædere, propter munitiones interiectas contra iaculorum ictus: Chorienes exterritus tātis molitionibus, mittit illico ad Alexandrum, oratū uti ad se Oxyartem ire patiatur. Quod cum Alexander concessisset, ingressus ad eum Oxyartes, uti deditionem faciat suadere incipit: nihil Alexandri, Macedonumq; uirtuti imperuium esse. ad hæc regis fidem ac benignitatem extollere, cuius ipse insigne exemplum esset. Quibus persuasus Chorienes, ad Alexandrum se contulit, & cum eo nonnulli familiares. Isq; ab Alexandro in fidem & amicitiam cum cæteris receptus est. iussusq; aliquem è

suis

suis mittere, qui mandaret, uti qui intus erant, petra excederent: confestim dicto paruit. Quo facto, Alexander assumptis argyraspidibus quingentis, petrã inscendit, ac diligenter inspexit. Tantumq; abfuit ut in Chorienem aliquid indignũ statueret, ut petram eius fidei rursus cõmiserit, ducatumq; equitum (quo prius honore fungebatur) ei ratum esse decreuerit. Interim dũ petra obsidetur, cum per hyemem nix altè terram operuisset, ingens pabuli & commeatuum penuria in castris secuta, multiq; milites atq; equi afflicti sunt. Itaq; Chorienes, quo acceptæ liberalitati aliqua ex parte responderet, frumentum uinumq; in uniuersum exercitum in duos menses, salitasq; carnes in singula tentoria exhibuit. quæ omnia uix decimam partem eius, quod in diuturnam obsidionem in petram comportauerat, aiebat esse. Qua ex re Alexandri in se gratia non parum aucta, maiorem apud eum honorem promeruit: quod non magis ui, quàm uoluntate deditionem fecisse uideretur. His rebus gestis, Alexander in Bactra proficiscitur, Cratero cum sexcentis amicorum equitibus, suoq; & Polypercontis, Attali atq; Alcetæ peditatu, aduersus Catanem & Austanem, qui soli adhuc ex omnibus Paritacenis arma retinebant, misso. Vbi in prælium uentum, Paritaceni uicti sunt, Catane interfecto; Austane uero uiuo ad Alexandrum perducto: equitibus

præ-

prӕterea CXX cӕsis, peditibus propè M D. Quo facto, Craterus cum peditatu ad Alexandrum in Bactra profectus est: ubi de adolescentibus Alexandro insidias parantibus, & de Callisthene contigit. Ex Bactris Alexander ineunte uere coactis omnibus copijs in Indos mouit, Amynta ibidem relicto, & cum eo tribus milibus, & D equitibus, peditum decem milibus. decimoq; die transmisso Caucaso, peruenit Alexandriam, quam ipse condiderat. Cum primum Bactra profectus est, amouitq; urbis prӕsidem, quod nō rectè res illas administrasset: missis qui urbem frequentiorem facerent, Nicanoreq; uno ex amicis cum copijs sibi attributis, ac Tyriaspe urbis ac reliquӕ Parapamisadarum prouinciӕ satrape facto, ad Cophenum amnem, indeq; Nicӕam iter faciens, sacro Palladi facto, ad Cophenum processit: Taxile, ac cӕteris, qui trans amnem incolebant, sibi obuiam prodire iussis. Et Taxiles quidem, ac cӕteri equitum duces, nihil morati sunt: prӕter preciosa munera elephantos circiter XXV. quos forte habebant, se datu ros polliciti. In his locis diuiso exercitu, Ephӕstionē ac Perdiccam in Peucelaotes cum Gorgiӕ Cliti at Meleagri copijs, & parte equitum amicorum, omniq; prӕterea mercenariorum equitatu aduersus Indum flumen prӕmittit: mandatis traditis, uti per quos iter faciendum esset, aut uoluntate aut ui ad deditionem

nem cogant: cumq; ad Indum flumen peruenissent, traijciendo exercitu necessaria præparent. Cum his & Taxiles & cæteri equitũ duces suæ gentis missi. ubi ad flumen uentum est, continuo quæ Alexander iusserat, effecta. Astis uero eius regionis satrapes cũ res nouas moliretur, urbe, in quam confugerant, circiter XXX *dies ab Ephæstione obsessa, & capta, interfectus est: urbis custodia Sangæo, qui iam Astim fugiens, ad Taxilem se contulerat, tradita: cuius rei causa erat ei apud regem fides. Alexander uero cum argyraspidum manu, & reliquo amicorũ equitatu, sagittarijs Agrianis, atq; hastatis equitibus in Aspios, Thyreos, atq; Arasacos processit. cumq; iuxta amnem, quem Choem uocant, per montana aspera ac difficilia eundũ esset, peditatu omni sequi iusso* Choes flu. *cũ cætero equitatu, et ex peditatu Macedonũ circiter octingentis, ijsq; in equos impositis, pedestria scuta gestantibus, magnis itineribus contẽdebat: quod acceperat accolas Barbaros, resistendi animo in montes finitimos, atq; in ea oppida quæ munitiora uidebantur confugisse: eæ quoq; urbẽ, quæ prima occurrit, ex itinere aggressus, oppidanos pro mœnibus instructa acie dispositos, primo impetu fusos intra portas reiecit. At dum auidius præliatur, thorace iaculo traiecto, uulnus in humero, sed leue, accepit. thoracis nãque crassitudo obstitit, quo minus ferrũ in humerũ* Alexander uulneratus.

penitus descenderit. Ptolemæus quoq; Lagi, & Leonnatus, in ea pugna uulnerati. Deinde Alexander quà murus minus firmitatis habere uidebatur, sub urbẽ castra ponit. Postridie prima luce Macedones mœnia aggressi, exteriorem murum (nam duplex erat) haud magno negocio superant. Cum interior murus oppugnaretur, Barbari aliquantum restitere. Postquàm uero applicatis muro scalis, iaculis uulnerari cœperunt, non tulere uim diutius: sed protinus deserta urbe, sese in propinquos montes receperunt. Quorum pleriq; in ipsa fuga interfecti sunt. nec ijs quoq; parsum, qui uiui in potestatem uenerunt: tanta propter regem uulneratum ira uictorum fuit. Ea urbe diruta † ad aliã Andacem exercitum ducit: quam cũ oppidani sine ui dedissent, Cratero cum alijs peditũ copijs ibidem relicto, qui cætera oppida ad deditionem cogeret: ipse cum argyraspidis Agrianis, Cœniq; & Attali copijs, & ex amicis turmis ferè quatuor, ac parte equitum sagittariorum, uersus Euaspo leos flumen progreditur, ubi Aspasiorũ ductor erat. magnisq; itineribus contendens, biduo ad urbẽ peruenit. Quem ut Barbari appropinquare senserunt, incensa urbe, in montes proximos se recipiunt: quos fugientes Macedones insecuti, plerosq; antequàm in loca tuta peruenerint, interemerunt. Quorum ducem iam in collem quendam receptũ cum Ptolemæus aspe-

εἰς ἄνδακα ἄλλην πόλιν.

aspexisset,quamuis pauciores milites circa se haberet, equo insidens eò contendit. Cumq; is locus propter iniquitatem difficulter subiretur, relicto equo, pedibus Indum ingreditur. Quem ut Indus ad se accedere propius animaduertit, continuo occurrens, infestam hastam in eum distringit. Sed cum thorax ictum repulisset, irritus Indi conatus fuit. Ptolemæus Indi fœmore traiecto, humi stratum spoliat. Barbari circunstantes, ducem suum exanimem conspicati, in fugam uersi. Qui uero in montes circumiectos se contulerant, cognita ducis nece, decurrentes iuxta iacentis corpus exanime, protinus in pugnam reuocant. Iam uero et Alexander aderat cum peditibus, qui ex equis descenderant. Ac neq; sic Barbari (tantus illos ob amissum ducem pugnandi ardor inuaserat) locò cedebant, sed conferti conglobatiq;, & Ptolemæi & Alexandri impetum sustinebant: uixq; post multa uulnera accepta, in montes repulsi sunt. Alexander deinde cum ad urbem Arigæum descendisset, eam ab oppidanis concrematam ac desertam reperit. Dum hæc geruntur, Craterus perfectis his quæ Alexander mandauerat, ad eum est profectus. Et quoniam ea urbs percommode sita uidebatur, ad Barbaros in officio continendos, negotio Cratero dato uti eam instauraret, ac uicinis Barbaris suaderet, ut in eā commigrarent, etsi qui etiā de exercitu propter ætatem

inualidi essent: ipse ea loca petens, in quæ Barbarorum plerosq; fugisse acceperat, ad radicem montis quem insederant castris positis, Ptolemæum prædatum mittit. qui paulo longius à castris speculandi gratia progressus, confestim Alexandro nunciauit, plures à se Barbarorum quàm in ipsius castris ignes uisos esse. Et Alexander quidem de ignium frequentia haud satis credidit. cæterum cum sensisset eius regionis Barbaros eò conuenisse, relicta in castris exercitus parte, cum cæteris copijs eódem contendit. Vbi ad ignium prospectum uentum est, trifariam diuisis copijs, unam partem Leonnato, additis ei Attali & Balacri cohortibus: alteram Ptolemæo, cum argyraspidis, Philippiq; & Philotæ militibus, ac sagittariorum duobus milibus, Agrianisq;, & equitatus parte attribuit: tertiam ipse agens, eò se contulit, ubi maiorem Barbarorum multitudinem animaduertit. Quem postquàm appropinquare senserunt (tenebant enim superiora loca, multitudine præterea confisi) despecta Macedonum paucitate, relicto monte in planum delapsi, prælium incipiunt. Pugnatum est ab ea parte diu atq; acriter. ad postremum urgente Macedone, uicti cesserunt. Qua uero Ptolemæus curabat, non in plano utiq; pugnatum est. sed cum Barbari collem tenerent, iiq; & acies in longum instruxissent, Ptolemæus quà collis apparebat expugna-

tu

tu facilior, eos inuadit: nõ utiq; colle circundato, sed loco ad fugam Barbaris de industria relicto. Et *cum his quoq; atrox certamen fuit, tum propter loci sitũ, tum quòd eius prouinciæ* Indi *cæterorum* Indorum *fortißimi sunt. ad postremũ tamen & hi cedere coacti sunt.* Eadem *quoq; fortuna* Leonnati *fuit, quibus cum pugnabat, Barbaris depulsis: quadraginta milibus eorum, ut* Ptolemæus *tradidit, captis: bobus supra ducenta, &* XXX *milia.* Ex *quibus* Alexander *pulcherrimas quasq; delegit, quas in* Macedoniã *mitteret, quòd forma & magnitudine Græcis bobus præstarent.* Exinde Alexander *in* Asacenos *mouit, quos equitum duobus milibus, peditum terdecies mille, elephantis tricenis coactis sese ad prælium parare nunciabatur.* Inter *hæc* Craterus *peractis quæ* Alexander *imperauerat, ad eum cum copijs accesit, adductis grauioris armaturæ militibus, conuectisq; operibus ac tormentis, sicubi his opus fore in oppidorum oppugnationibus contingeret.* Deinde Alexander *cum amicorum hastatis equitibus,* Cœniq; & Polypercontis *copijs, &* Agrianis *mille ac sagittarijs, in* Asacenos *ire pergit, per* Guræos *iter faciens iuxta flumen eiusdem nominis.* Difficilis *transitus ipsius amnis fuit, tum propter altitudinem & rapiditatem, tum propter rotundos lapides, quos suo cur su trahit (neq; enim solũ, ut plerisq;, sabulosum est)* In Asacenos expeditio.

quibus lapidibus nec hominū nec equorum uestigia sisti poterant. At Barbari postquàm Alexandrū pertransito flumine propiorem factum cognouerunt, exterriti, diuiso exercitu in diuersa oppida se recipere salutis causa cogitabant. Cæterum cum Alexander ad Masaga urbem, quæ erat eius regionis opulentissima, duxisset, oppidani Indis mercenarijs freti (erant enim ad septem milia) eruptione facta, castra aggrediuntur. Quod Alexander conspicatus, quo illos à muris aliquanto longius abstraheret, postquàm in se concitatos uidet, aduersus collem quendam à flumine remotum, ubi castra facere decreuerat, ad septem maximè stadia cedere Macedonas iubet: quos oppidani metu cessisse opinati, in eos tanquam obsessos & clausos temerè feruntur. Postquàm intra sagittarum iactum accessere, Alexander dato signo protinus in eos conuerti imperat. Primiq; omnium hastati equites cum Agrianis ac sagittarijs in eos irruunt, ipse cum phalange instructa subsequitur. tum Indi re inopinata consternati, effuso cursu urbem repetunt, ducentis suorum desideratis, sese intra urbem trepidantes receperunt. quos cum Alexander phalange admota persequeretur, calcem sagitta perstrictus est. Postridie tormentis admotis, muri parte disiecta, cum per ruinas Macedones intrare niterentur, & ab Indis strenuè repulsi essent, receptui cani iussit. Vbi

Masaga.

Alexander calce ictus.

alter

alter illuxit dies, Macedones rursus maiore conatu urbem aggrediuntur, turri lignea mœnibus admota, ex qua sagittas ac iacula in oppidanos mittebant. Sed nec sic quoq; (tanta ui restitere Barbari) peruadi in oppidum eo die potuit. Tertio exinde die Macedonum phalange ruinis denuo admota, & ex lignea turri ponte superiniecto, argyraspidas, à quibus Tyrus antea eodem modo capta fuerat, inducit. cæterum cum certatim simul regis causa, simul gloriæ studio, ijs sese in pontem conijcientibus, pons ipse oneri cessisset, qui superstiterant corruêre. Tum Barbari, alij supernè clamore sublato lapidibus atq; omni genere telorum eos petere: alij per portulas turribus interiectas subito egressi, illos ob casum sese ægrè mouentes ferire. Quo uiso Alexander Alcetã cum copijs confestim mittit, qui laborantibus opem ferat: receptisq; saucijs, eos qui adhuc pugnabant, in castra reuocet. Quarto deinde die, alijs operibus alibi muro appulsis, ponteq; iacto, cum oppugnari denuo oppidum cœpisset, Indiq; mercenarij ex aduerso oppositi, primo fortiter resistere. Postquàm uero ducẽ suum uulnere accepto occubuisse conspexerunt, multosq; suorum occidisse, multos etiam ex uulneribus ad resistendum inutiles factos, ad Alexandrum mittunt qui polliceatur, si sibi saluis abire liceat, sese urbe excessuros. id ita demum Alexander se eis concessurum

surum respondit, si militare secum uellent. Quod cũ illi recepissent, destitutis oppidanis cũ armis ex oppido repente egressi, seorsum à Macedonum castris in quodam colle opposito castra faciunt: eo animo, ut noctu arrepta fuga, quòd ferre arma contra Indos nollent, domum reuerterentur. Quorum consilij rex certior factus, eadem nocte, colle in quo constiterant cum copijs circumsesso, eos omnis ad internecionem cecidit: urbemq; defensoribus destitutam, protinus ui cœpit: & in ea Asaceni uxorem, matrẽ ac filiam: de exercitu eius nõ plus XXV in tota obsidione desideratis. Exinde Cœnum, Baziram mittit, ratus oppidanos Asacenorũ casu perculsos, extemplo deditionem facturos: Attalo, Alceta, ac Demetrio ad Oram oppidum missis, qui interim dum ipse eódem proficisceretur, urbem circumuallari curarent. Qui profecti cum iam oppido appropinquarent, & oppidani eruptione facta in eos impetum fecerunt, paruo negocio illos intra muros reiecerũt. Bazirenses quoq; naturali munimento oppidi mœnibus freti, præter opinionem Alexandri Cœno restiterunt. Quod ubi accepit, eò proficisci cum exercitu statuit. Cæterum edoctus, nonnullos Barbarorum finitimorum ab Abisaro missos auxilio oppidanis, Oram ingressuros, mutato consilio, primum ad Oram ducit: Cœno aduersus Bazirenses castris com-

munitis,

munitis, & in his idoneo præsidio relicto, ne ciues agris frui possent, cum reliquis copijs ad se ire iusso. Bazirenses ut uiderunt Cœnum cum magna copiarũ parte discessisse, contempta paucitate eorum qui relicti fuerant, subitò in castra eruperunt. Pugnatum est inter se diu, atq; acriter: quo prælio Barbarorũ fermè quingenti cæsi sunt, supra septuaginta capti, cæteri in urbem compulsi, nec post eam pugnam oppidum exire ausi. Profectus Alexander, admotis copijs, primo impetu urbem debellauit: elephantis, quos ibi repperit, captis. Postquàm Bazirēses Orecorum urbem captam audiuere, uiribus diffisi, circa secundam noctis uigiliam deserto oppido, in petram, quam Aornum uocant, quò & alij Barbari finitimi se receperant, repente confugiunt. Hanc petram naturali munimento Barbari existimabant, nullo humano consilio aut ui capi posse: famamq; tenuit, neq; ab ipso Hercule Ioue sato, cuius uirtuti nihil inuictum esset, expugnari potuisse. Cæterum an ullus Hercules siue Thebanus, siue Tyrius, siue Aegyptius ad Indos penetrauerit, pro uero affirmare non possum. Magis autem opinor, nullum eorum eò peruenisse. Cæterum difficillima quæq;, & factu ardua, eò usq; à mortalibus augeri solent, ut uel ab ipso Hercule fieri non posse dicantur. Idem ego de hac petra sentio, propter expugnandi difficultatem, eius captæ famã

Hercules diuersi.

Aorni petræ descriptio.

n 5 &

& in Herculem ipsum relatã esse. Huius ambitũ *ad ducenta maximè stadia esse tradunt: altitudinẽ, quà est humilior, stadiorum* XI. *unoq; tantũ calle, manu facto, eodemq; difficillimo, adiri posse. In eiusdẽ uertice nitidũ fontem ac perennem manare, qui per subiectam syluam sese effundens, solũ fœcundet: tantumq; agri circà esse, quantũ in mille hominũ alimenta satis sit.* Quæ cũ Alexander *audisset, miro quodam desiderio illius expugnandæ correptus est: uel maximè propter fabulã de Hercule uulgatam.* Itaq; Ora *oppido, & Massaga, præsidio firmatis, Baziræ muros euertit: Ephæstione quoq; et Perdicca Orobatis mœnia solo æquare iussis. qui relicto ibidem præsidio, ad flumen* Indum *profecti, omnia iam pro iungendo flumine ab* Alexandro *imperata fecerãt.* Regioni citra Indum *sitæ, Nicanorem unum ex amicis præposuit, cum Indum flumẽ peteret.* Peuceliotim *oppidũ, haud procul ab amne situm, oppidanis deditionem facientibus recepit: impositoq; præsid io, eiq; præposito Philippo, cætera oppida ad Indum sita continuata uictoria expugnabat, sequentibus cum Cophæo & Assagete, eius prouinciæ regulis.* Postquàm Embolima *peruenit, quæ urbs nõ procul ab Aorno sita erat, Craterum cum parte exercitus ibi relinquit, qui & frumentum & cætera in diuturnam obsidionem necessaria conuehat: eo consilio, ut si aut ui, aut arte nõ possit,*

Embolima.

posset, eos qui se in petram incluserant longa obsidione fameq; superare contendat, nisi eam primo impetu caperet. Assumptis itaq; Agrianis ac Cœni copijs, delectisq; ex reliquo peditatu leuioris armaturæ militibus ducentis, præterea ex amicorum equitatu & equitibus sagittarijs centũ, ad petram proficiscitur. Cumq; altero die haud procul à petra peruenisset, castraq; posuisset, quidam è Barbaris *finitimis ad eum profecti ostenderũt, qua maximè parte petra superari posse uideretur: seq; in id duces polliciti. Quibus laudatis, Ptolemæum Lagi cum Agrianis, & alijs leuis armaturæ militibus, & argyraspidibus aliquot delectis, duces sequi iubet: qui postquàm uerticem occupassent, signum prætendant. Ptolemæus duces secutus, summo militum labore per inuia atq; abrupta, non sentientibus Barbaris, demonstratum locum continuo occupat: eoq; uallo ac fossa communito, incensam facem (quod signum conuenerat) attollit. Quo ex castris prospecto, Alexander postridie exercitum petræ admouit. Cæterũ resistentibus* Barbaris *ob loci iniquitatem, conatus eius frustra erãt. At postquàm* Barbari *animaduerterunt, Alexandrũ ab ea parte frustra niti: in eos quos cũ* Ptolemæo *clàm inscendisse cognouerãt, se conuertũt: atroxq; prælium cõmittitur, Indis uallũ distrahere, Macedonibus locũ tutari adnitentibus.* Petræ expugnatio alia.

Demum

Demum Barbari Macedonum iaculis repulsi, cũ nox instaret, retrocessere. Ea nocte, quæ secuta est, Alexander Indum quendam perfugam, locorum peritũ, ad Ptolemæum cum literis mittit: quibus monet, uti cum postridie petræ copias rursus admouisset, ipse eodem tempore ex superiori parte hostes inuadat: quo utrinq; petiti, incerti essent cui potißimum parti succurrerent. Ipse ubi alter illuxit dies, eductis copijs eò proficiscitur, quo Ptolemæus clam hostibus conscenderat: arbitratus, si superata inde petra, inuitis Barbaris, cum Ptolemæo coniungi posset, fore uti facile uoto suo potiretur. Nec aliter sanè atq; ipse cogitauerat, res euenit. Itaq; postridie eius diei ab ea parte nitens, cũ obuios atq; infestos haberet hostes, ægrè conscendebat: tractoq; in meridiem acri prælio, cum tamen Macedones non desisterent alij alijs sensim succedere, prioresq; interim à labore reficerentur, uix ante noctem euadere in petram potuit: superato monte, denuo ad eam partem quæ munita erat, copias ducit. Sed his quoq; dies (tanta erat per loca inaccessa atq; auia subeundi difficultas) frustra consumptus est. Sub lucem milites iubet singulos, centenos uallos cædere, sylua circumiecta materiæ copiam suppeditante. Quibus comportatis, aggerem à summo colle ad petræ munimenta porrectum, intra teli iactum moliri aggreditur, uti propugnatores

Barba-

Barbaros sagittis ac iaculis abinde arceret. ipse instans operi, alios impigrè molientes laudare, alios segniores castigare atq; incendere. Et primo quidem die quanquam infestis Barbaris, in stadij fermè longitudinem aggere perducto, operibusq; & funditoribus ibidem dispositis, Indorum impetus coërcitus est, atq; ita agger triduo perfectus est. Quarto deinde, cum Macedones aliquot collem quendam petræ oppositum æqualis altitudinis cœpissent, confestim Alexander eódem contendit, aggeremq; ad eum collem continuare cogitauit. Quem cum moliri orsus esset, ac iã ex magna parte effecisset, attoniti ac propè consternati Barbari, quòd eum collem rebantur capi non posse, diffisi petræ munimento, ad Alexandrum mittunt qui deditionem polliceatur, si sibi tuto abire liceat. Quod cum Alexander concessisset, omni præsidio procul è circuitu amoto, spacium ad discedendum dedit. Assumptis deinde corporis custodibus & argyraspidis circiter septingentis, primus omnium petram inscendit. Alexãder primus petram ascendit. *Macedones quoq; alius aliã, sese mutuo adiuuantes, eódem ascenderunt, Barbarorumq; plerosq; fugientes nacti interemerunt. quorũ nonnulli sese in abrupta præcipitantes, perierunt. Potitus petra Alexander, quam Herculem superare nequiuisse fama erat, rem diuinam fecit: eius custodia Sisicopto à Besso transfugæ, cuius opera fideli-*

fideli in Bactrianorũ expugnatione usus fuerat, com missa. Inde abiens, Assacenos inuadit. Nanq; Assaceni fratrem in montes confugisse, cum aliquot elephantis, nunciabatur: & cum eo multos finitimorum Barbarorũ. Cũ aũt † Dyrtam urbẽ petiisset, eam cũ agris circumiectis ab incolis metu destitutã repperit. Postridie Nearchum & Antiochũ, qui singuli mille argyraspides ducebant, cum Agrianis leuis armaturæ, ac tribus milibus peditum mittit: qui comprehensis aliquibus eius regionis Barbaris, & mores eorũ, & bellandi consuetudinem, & elephantos exquirant. ipse interim ad Indum flumen pergit, præmissis qui uiam expediant (quód loca illa impedita esse ferebantur) captis Barbaris quibusdã certior factus est, prouinciæ eius incolas ad Barisadẽ se recepisse, elephantis in pascuis apud Indum flumen relictis. Quo cognito, ducis[illegible]d elephantos iubet. Sunt autẽ Indi eius generis animaliũ studiosi uenatores, & ob id eiuscemodi homin[illegible]s habebat, iisq; delectabatur. Nactus bellua[illegible]s agitare cœpisset, duæ earũ æditiora petentes loca, cũ inde se præcipites dedissent, perierunt. quæ[illegible]ã cõprehensæ, quæ & sessores pati, & in exercitu uersari ab Indis postea edoctæ sunt. Syluam quoq; cæduam iuxta flumen repperit: qua confestim à militibus cæsa, nauibusq; ædificatis ad pontem, quem Ephæstio & Perdiccas iam antè effecerant, cum copijs uectus est.

Δύρτα. (margin, beside "barorũ. Cũ aũt † Dyrtam")

Elephanti Indiæ. (margin, beside "Nactus bellua[illegible]s agitare")

ARRI-

ARRIANI NICOMEDENSIS de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum, Liber Quintus.

IN HAC regione, quæ inter Cophenum & Indum amnes interiacet, urbem Nysam sitam ferūt. eius conditorem Dionysium fuisse: conditā uero, quo tempore in Indos profectus, eam gentem domuit. Quis uero is Dionysius fuerit, quo ue tempore, aut unde in Indos accesserit, nequeo satis coniectura consequi: sit ne Thebanus ille, qui ex Thebis, aut ex Tmolo monte Lydiæ in Indiam cum exercitu profectus, tot pugnacißimas gentes, & tunc Græcis ignotas, subegit. nihil enim comperti habeo. Cæterum haud necesse arbitror ea accuratius inuestigare, quæ de ijs antiquiores fabularum figmentis uulgauere. nanq; rerum naturam diligentius consideranti, interdum minus credibilia uiderentur. ea, si quid diuinum inferatur, non omnino falsa aut incredibilia uideri solent. Itaq; totam disquisitionem in medio relinquamus, & ad res gestas redeamus. Proficiscenti cum exercitu Nysam Alexandro, miserunt ad eum Nisæi Acuphim ciuitatis principē, & cum Nysæorum legatio ad Alexandrum.

& cum eo legatos XXX ex primoribus ciuitatis, oratum, uti deo suo urbem liberam esse permitteret. Qui ad Alexandrũ introducti (iam enim castra posuerat) cum eum in tabernaculo sedentẽ inuenissent, nondum puluere deterso armatũ, lanceam manu tenentem, galeaq; caput obtectum: eius aspectu admirabundi, atq; ad genua prostrati, aliquandiu silentiũ tenuerunt. Postquàm uero Alexander surgere eos, ac
» *bonã spem habere iussit, Acuphis ita orsus est. Orant*
» *te ô rex, Nysæi, ut ciuitatem suam liberam esse, ac le-*
» *gibus suis uti Dionysij gratia concedas: quam ille su-*
» *peratis Indis, cum in Græciam reuerteretur, in lon-*
» *ginquæ peregrinationis ac uictoriæ suæ monumen-*
» *tum condidit, militibusq; suis, quos uel ætas uel inua*
» *letudo imbelles effecerat, incolendam dedit. quemad-*
» *modum & tu ad Caucasum montem Alexandriam*
» *& alteram apud Aegyptios, aliasq; alibi in nominis*
» *tui gloriã urbes condidisti, ac in posterum condítu-*
» *rus es: utpote qui iam plura eo, atq; ampliora gessi-*
Nysa à Baccho. » *sti. Nysam hanc urbem à Nysa, in qua educatus est,*
» *& prouinciam Nyseam: montem uero, qui est urbi*
» *propior, fœmur uocari uoluit, ex eo quòd (ut in fabu*
» *lis est) in fœmore Iouis succreuerit. Ex eo tempore*
» *nulli seruimus, nostris legibus utentes: tum optima*
» *reipub. disciplina, ac dignitate ciuiliter agimus. Hanc*
» *urbem à Dionysio ædificatam esse, tum alia pleraq;*
tum

tum hoc maxime argumento est, quòd nusquam ali- «
bi apud Indos hædera nascitur, quàm deo illi gratam «
fuisse non es nescius. Hæc itaq; sedes, *ut nobis ipsius* «
dei cultoribus libera perpetuò sit, quemadmodum «
per tot secula ad hoc tempus fuit, per tuam bonitatē «
te ô Rex *obsecramus.* Ea dicentem Acuphim Ale «
xander non inuitus accepit. cupiebat enim pro certis haberi, quæ de Dionysio uulgata erāt: urbē ipsam ab illo conditā credi, tanquam & ipse iam isset quò Dionysius, & adhuc ulterius quàm ille iturus esset. cogitabat Macedonas haud amplius longiorem militiam detrectaturos, rerum quas Dionysius gessisset æmulatione quadam. Itaq; Nysæis libertatem, & ut legibus suis uterentur concessit. Deinde cum leges eorum cognouisset, ciuitatemq; ab optimatibus regi: ijs laudatis, ad se mitti trecentos equites iussit, è quibus centum ex eorum numero per quos respub. administrabatur: Acuphim regioni præfecit. Ad ea postulata Acuphim risisse ferunt. Cumq; Alexander causam risus interrogasset, respondisse: Quo'nam modo, ô Rex, ciuitatem aliquam centum bonorum ciuium consilio destitutam, amplius rectè gubernari putas posse? Si tibi Nysæorum res curæ est, equites CCC ac plures, si uelis accipere: sed pro ijs centum, quos ex reipub. peritis legi iubes, ducentos potius tibi dare patiare, ut tibi reuertenti in eodem statu ac

India hæderæ expers.

Alexandri in Nysæos liberalitas.

dignitate urbs nostra esse uideatur. Hæc orans Acuphis (uidebatur enim prudenter dicere) persuasit Alexandrum uti pro ijs centū quos requisierat, totidem quos uellet alterius ordinis acciperet: & in ijs filium, ac nepotem, quos militandi causa nominatim petierat. Post hæc Alexandrum cupido inuasit eius loci uisendi, in quo Nysæi monumenta quædam memoranda Dionysij esse referebant, ac montem Fœmur, cum amicorum equitatu & peditum agmine: quem hedera ac lauro uestitum, lucos amœnissimos & opacitates ac uenatus omni genere ferarum continere prædicabant. Quò ubi peruentum, Macedones lætabundi, hederam intuiti, tam longo pòst tempore à se uisam, coronati lauro capita, Dionysij laudes canentes ibant, ipsum deum uarijs appellationibus inuocantes. Factoq; sacrificio, ibidem cum amicis epulatus est. Tradunt etiam nonnulli (si cui huiusmodi credibilia uidentur) plerosq; Macedonum, qui cum rege erant ex primoribus, numine correptos, bacchantium more discurrisse. Quæ utrum credenda sint, an secus, unusquisq; apud se iudicet. Ego uero Eratostheni Cyrenæo prorsus assentior, asserenti, quæcunq; Macedones in rem diuinam retulissent, ea in Alexandri gratiam iactasse. Et de specu illa, quam apud Paropamisades uidisse dixerunt, at fabulam ab incolis pro uero acceptam, aut certe rem ipsam ab

Fœmur mōs.

ijsdem

iisdem confictam: antrum scilicet esse, in quo Prometheus olim religatus fuisset: aquilam eodem aduolare solitam, eius uiscera depascentem: Herculis interuentu aquilam interfectam, Prometheum uinculis solutum. Eosdem etiam Macedones fabulosa quædam de monte Caucaso prædicare solitos, Caucasum appellantes, qui esset Paropamisus: idq; in Alexandri gloriam, tanquam ultra Caucasum profectus esset. Cumq; apud Indos, boues claua inustas uidissent, Herculem in his locis fuisse coniectabant, eo q, Hercules claua usus esset. Paria de Dionysij peragratione composita, inde ipse Eratosthenes putat. Ego uero quæ de his uulgata sunt, in medium attuli. Alexander ubi ad Indum peruenit, pontem iam perfectum ab Hephæstione, et multas ibidem diuersæ magnitudinis naues repperit: ad hæc uenisse à Taxile Indo munera, argenti talenta circiter ducenta, boum capita ad tria milia, pecudum decem milia, elephantos XXX. Equites quoq; Indici septingenti ab eodem missi Taxile, urbe omnium inter Indum & Hydaspem maxima tradita. Alexander deinde sacrificio dijs, quibus consueuerat, perpetrato, equestres ludos in ripa fluminis edidit. Sacrificanti exta lætos rerum euentus protenderunt. Indus autem fluuiorum omnium Asiæ atque Europæ, præter Gangem, maximus habetur.

Promethei specus.

Herculis claua.

Indi flu. descriptio.

oritur ex monte Paropamiso, siue (ut Macedones appellabant) Caucaso: atq; Oceanum, qui Indiam alluit, ad austrum effluit. Duo sunt eius hostia, eaq; uadosa, quemadmodum & quina Danubij hostia: deltaq; cursu suo efficit, Aegyptio simile. quæ insula sic intercisa, lingua Indica Patala appellatur. Et hæc

Patala. quidem breuibus de Indo flumine, tanquam haud dubia perscripsi. nanq; Hydaspes et Acesines, itemq; Hydraotes & Hypasis Indorum amnes, cæteris Asiæ amnibus multo ampliores sunt. Hi tamen Indo tanto minores, quanto ipse Gange minor. Ctesias quidem (si cui satis sit eius autoritas) asserit Indum, quà est angustior, ad XL stadia in latitudinem extendi: quà latior, fermè centum. Alexander sub lucem exercitum traiecit. Ea regio Indorum est, de quibus nō est consilium hoc loco dicere, quibus moribus, quibus'ue legibus utantur, quæ monstra ea plaga gignat quæ piscium genera, quanta'ue magnitudine Indus, Hydaspes, & Ganges, alijq; Indorum amnes ferant: neq; quales formicæ aurum effodiant, neq; rursus Gryphes auro defosso incubent, alia'ue quæ ad uoluptatem magis quàm ad ueritatem inuenta. quæ utcunq; quis mentiatur, non omnia tamen refelli possunt: licet Alexander & qui cū eo militauere, ista redarguerint, præter ea quæ suorum quidam ementiti sunt. nam esse Indos sine auro deprehensum est,

cos

eos uidelicet, per quos Alexander profectus est. Nam multos quidē eius gentis populos peragrauit, haudquaquam delicijs deditos: nec minores etiam cæteri Asiatici, prægrandibus membris, ut sunt ferè Asiatici omnes: in quis multi quinq; cubitorum, uel paulo minus magnitudine, nigriores quidem cæteris omnibus mortalibus, præter Aethiopas: in bello autē longe strenuiores cæteris Asiam colentibus. Nam Persas illos, quorum uirtute Cyrus Cambisæ Asiæ imperium Medis abstulit, non possum rectè rebus Indorum comparare. namq; ijs temporibus Persæ pauperes erant, regio eorum aspera incultaq;, leges & instituta habebāt Lacedæmoniorum disciplinæ maximè consentanea. Affirmare autem non possum, utrum clades ab ijs apud Scythas accepta, ex locorū iniquitate, uel alio quopiam Cyri errore ciderit: an Persæ Scythis, à quibus deleti sunt, quod ad rem bellicam attinet, deteriores essent. Sed de Indorum rebus ac moribus, quæ Nearchus & Megasthenes ac Eratosthenes clari uiri tradiderunt, seorsum scribemus. In præsentiarum autem, quantum satis esse uisum est ad rerum gestarum narrationem, attingendū putauimus. Taurus mons amplissimus per omnē Asiam porrigitur: à Mycale monte, qui est Samo insulæ oppositus, incipit. diuidensq; Pamphiliam à Cilicia, in Armeniam protendit: atq; inde in Mediam

Asiaticorum statura & reliquus habitus.

Taurus.

non procul Parthis & Charasmis penetrans, circa
Parapamisus. *Bactrianos Parapamiso iungitur. quem Macedones Alexandrũ secuti, quo Alexandri gloriam augerẽt, Caucasum nominauere: quasi trans Caucasum continuata uictoria cum exercitu profectus esset. Fortasse uero & hic ipse mons cum altero Caucaso Scythico continuatur, quapropter superius aliquando Caucasum uocaui, ac deinceps hoc nomine appellabo. Hic igitur Caucasus ad oceanum orientalẽ & Indos per-*
Asiæ flumina *petuo dorso protenditur. Flumina quæcunq; Asiam alluunt memoratu digna, ex Tauro & Caucaso nascentia, alia in septentrionem, & horum quædam in Mæotim paludem: quædã in Hyrcanũ mare, Oceani sinũ: alia in meridiem, in quis Euphrates, Tygris, Indus, Hydaspes, Acesines, Hydraotes, Hyphasis, & alia quæcunq; inter hæc et Gangẽ sita sunt, in Oceanum exeunt: aut in plano refusa, cursumq; sistentia, ueluti Euphrates, occulto meatu sub terris labuntur.*
Asiæ situs. *Ex quo Asiæ situs ita se habet. Quod ante Taurum & Caucasum à Zephyro uento in Subsolanum scinditur, hæq; duæ latißimæ Asiæ partes à Tauro efficiuntur, una quidem in meridiem ac Notum, eaq; à Tauro clauditur: altera in Septentrionẽ ac Boream conuersa. Ex quatuor autem partibus, in quas diuiditur Asia, quæ in meridiem uergit, maximã omniũ Indiam tradunt Eratosthenes ac Megasthenes: qui*

cum Sibyrtio Arachosiorum satrape uersatus, nõ semel ad Sandracontum Indorum regem se isse cõmemorat. minimam, quam Euphrates intersecat, ad mare nostrum conuersam: reliquas duas, inter Euphratem atq; Indum positas, si coniungantur, uix dignas esse quæ Indiæ æquipararentur. Terminatur India ab oriente & Subsolano usq; in meridiẽ, ab Oceano: à septentrione, Caucaso monte, ad Tauri usq; confinia: ab occidente & Apulo uento in Oceanum, Indo amni: qui plurimum per plana elabitur, quam planiciem ac solum à flumine factam putant, quemadmodum & in alijs quibusdam locis contingit, quæ non procul à mari campos habent: quorum pleriq; fluminum ui terram limumq; congerentium effecti sunt, ita ut antiquum regionis nomen flumina ipsa retineant. quemadmodum Hermi campus dicitur: qui amnis in Asia oriens, ex monte matris Dindymenæ, non procul à Smyrna urbe Aeolica mare influit, & item Caystri campus: Lydius à Lydo flumine: & Caici campus in Mysia, à Caico amni: & Mæandri campus in Caria, iuxta Miletum urbem Ionicam, à Mæandro appellatus. Aegyptum quoque Herodotus & Hecatæus historiarum scriptores, aut si forte alterius cuiuspiam ab Hecatæo diuersi sunt illa opera de Aegyptijs campis, regionem illam eodem modo fluminis donum appellant.

Sandracontus Indorum rex.

Indiæ fines.

Camporum appellatio a fluminibus.

idq; ita esse, non obscuris quibusdam rationibus Herodotus arguit. Quòd autem is amnis, quem nunc Aegyptij ac cæteræ gentes Nilum uocant, apud antiquissimos Aegyptus appellaretur, satis probabilis coniectura ex Homeri carmine fieri potest, qui Menelaum ad Aegyptum flumen classem statuisse commemorat. Si igitur singuli amnes, iiq; non magni eã uim habent, ut terram congestam in solum obdurent, cum ex superioribus locis limum trahant, certe & de Indicis campis hoc idem credere fas est. Nec uero Hermus & Cayster, itemq; Caicus, & Mæander, multiq; præterea ex amnibus Asiæ, quicunq; in mediterraneum mare exeunt, si in unum coëant, uni alicui Asiæ fluminum comparandi sunt: nedum Gangi, omniũ maximo, cui neq; Nilus neq; Danubius conferri possunt. Sed ne ij quidẽ omnes, si Indo misceantur, Gangem æquent: qui magnus statim, ab ipsis fontibus surgens, XV magnis amnibus in se receptis, nomen suum perpetuo retinens in Oceanum excurrit. Et hæc quidem de India impræsentiarũ dicta sint. Cætera, cum res Indicas narrabimus, à nobis dicentur. Quo nam autẽ modo Alexander Indũ ponte iunxerit, neq; ex Aristobulo, neq; ex Ptolemæo (quos ego maximos autores habeo) cognoscere potui. neq; ego aut pro certo asseuerare, aut coniectura assequi possum, utrũ nauibus, ut Hellespõtus olim à Xerxe, &

Nilus, Aegyptus antea.

Gangis flu. magnitudo.

& Bosphorus ac Danubius à Dario: an ponte manu facto superarit. Mihi uero probabilius uidetur, Alexandrũ iunctis nauibus, quàm ponte exercitũ traduxisse. Neq; enim pontem reciperet Indi altitudo, nec tã breui tempore tantũ opus perfici potuisset. Naues aũt funibus colligatæ, & in muri modũ constructæ, Xerxis exemplo ad iungendum amnem satis erant: quo Romanos ferè, rerum dominos, Danubium ac Rhenum iungere solitos accepimus. Item quo pacto Tigrim atq; Euphratem, quoties necesse fuit, iunxerunt, haud satis compertum habeo. At ut mihi quidẽ constat, pontem Romani ex nauibus moliebantur. Qua uero ratione (quoniam res mihi uisa est narratu digna) hoc loco explicandum putaui. Naues dato signo demittebantur, eas (ut uerisimile) fluminis cursus deorsum rapiebat. sed uehementi remorum pulsu euicto fluminis impetu, aduersis proris ad designatum locum retrahebantur. deinde à prora singularum uimineæ crates in pyramidum modum extructæ, ac lapidibus repletæ, contra amnis uiolentiã in fundo destituebantur: quas modico interuallo separatas, solidis tignis inuicem collocabant. tignis asseres per transuersum dispositos, clauis affigebant. ac per hunc modum positas ad alteram ripam perducebant: singulis ab utroq; capite ponticulis, quo commodius equi currusq; ingrederẽtur atq; exponerentur,

Pons ex nauibus.

nerentur, excitatis. Hunc in iungendis traijciendisq; fluminibus ueterũ Romanorũ *morem fuisse accepimus.* Quo nam aũt modo Alexander Indũ iunxerit, *quemadmodũ suprà dixi, non ausim affirmare: quoniã qui cũ eo fuere in ea expeditione, hoc ueluti non necessariũ cognitu prætermiserũt.* Sed quantum ego *existimo, ad hũc ferè modũ iunctus est: quem si alia quapiã ratione iunctũ fuisse quis ostenderit, ea ratio præualeat.* Indo pertransito Alexãder rursum qui*bus consueuerat dijs, sacrũ fecit. deinde mouens, Taxilã urbẽ peruenit. Ea erat pollens potensq; ciuitas, omniumq; maxima quæ inter Indũ atq; Hydaspẽ sitæ sunt. Aduenienes summo honore exceptus est à Taxile urbano præside, ac ciuibus totius prouinciæ incolis. Cuius rei causa ex finitimorũ agris aliquantum petentibus, concessit.* Per eos dies legati ab Am*bisaro montanorũ* Indorũ *rege, Ambisari ipsius frater, et quidã cũ eo nobiles uiri, alijq; à* Doxarco *eius regionis præside, munera ferentes ad eum uenêre. Post hæc* Alexander *sacrificio ludisq; perpetratis,* Philippo Machate *totius regionis satrape designato, præsidio imposito, relictisq; ualetudine affecta militibus, ipse ad Hydaspem flumen proficiscitur: quò uenisse* Porum *cum ingenti exercitu nunciabatur, transitu prohibiturũ, aut iã transgressum aggressurum.* Quo intellecto, Alexander Cœnũ *Polemocrati retro ad Indũ flumen ire iubet: ac naues quîs exercitum*

Indus ab Alexandro superatus.

Taxila urbs.

Ambisarus rex.

Doxareus.

Porus rex, de quo Orosius in 3. Curtius in 7. Plut. in Alex. Iustinus in 12.

tũ transuexerat, ibi relictas flumine extractas ac detectas, uehiculis ad se cõportare. Profectus Cœnus, maiores naues in tris partes, minores in duas (quo commodius ueherentur) secuit, atq; ita ad Hydaspis ripã uehiculis delatæ sunt. Quibus rursum cõpactis, in ripa classem cõstituit: assumptaq; copiarũ parte, Taxilã rediit. receptisq; quinq; milibus Indorum à Taxile, & cæteris militibus, quos eius regionis satrapes habebant, ad Hydaspẽ se cõuertit, ibiq; castra posuit. Porus in aduersa ripa cũ omni exercitu atq; elephantis consederat, omnesq; motus Alexandri cũ cura obseruabat, ne in aduersam ripã nauibus euaderet: missis in cæteras fluminis partes custodibus, qua flumen traijci posse uidebatur. Quæ cum Alexander animaduerteret, cogitauit & ipse exercitũ in diuersa mittere, quo Porũ consilij incertũ redderet. Diuiso igitur in plures partes exercitu, alijs aliò dimissis, ipse cũ parte copiarum fluminis ripas præteruectus, quæ hostilia occurrebant uastando, amnis altitudinẽ cõtemplabatur, frumento ex omni regione citra Hydaspem undiq; in castra comportari iusso, quo Porus se permansurũ sciret, donec flumen per anni tempus resedisset: quod per hyemem accidere ex incolis cognorat. Nauibus quoq; diuersis locis in ripa collocatis, pellibusq; leui materia repletis, peditibusq; & equitibus ibidem dispositis, non sinebat Porum conquiescere: eiq; facultatem adimebat decernendi, quid

quid quoq; loco potißimũ parari oporteret. Per id anni tempus (erat enim circa æstiuum solstitium) Indorum amnes pleni & turbulenti sunt, iidemq; citatißimi: quo tempore & creberrimi imbres in his locis cœlitus cadunt, & Caucasi niues æstu solutæ flumen augent. Hyeme uero contrà, ipsi amnes minores purioresq; sunt, omnesq; uado transmeabiles, præter Indum & Gangem & alium forte unum. Sed & Hydaspes p id tẽpus uado transiri potest. Hoc se tempus mansurũ Alexãder uulgauerat. Instabat tamen, omniq; diligẽtia perscrutabatur, si quà clam hostibus transire posset. Cũq; animaduerteret, quà Porus cũ exercitu cõstiterat, propter magnitudinẽ copiarũ et elephantorũ in aduersa ripa adstantiũ, qui in ipso descensu tũ specie inusitata, tũ horrisono clamore equis terrorẽ & consternationẽ allaturi essent, clam hostibus transire instituit. Noctu itaq; iuxta ripam mißis in diuersa equitibus, ingentes clamores tolli, aliaq; in speciem transitus tumultuosius parari præcipit. Ac primo Porus quocunq; Macedonum clamor uocabat, ex aduerso aderat. Cæterũ postquàm aliquot dierum consuetudinem nihil aliud præter clamores moliri hostes animaduertit, ad eorum ululatus postea moueri destitit: mißis in diuersa fluminis parte, ne quid eum falleret, speculatoribus. Quem ubi Alexander se satis tutum contra nocturnos conatus existi-

Aestiuo solstitio Indiæ flumina exundare.

existimare animaduertit, ad dolos conuersus est. Rupes erat ad amnis ripam peropportunè sita, quam ipse amnis insigni flexu obibat, arboribus uarij generis perfrequens. Contra hanc paruo interuallo insula erat, & ipsa inculta, atq; insidijs idonea. Itaq; cũ utrobiq; tã equites quàm pedites occuli posse intueretur, exercitum eò traducere constituit. Ea rupes atq; insula circiter centum & L. stadia à castris aberant. Dispositis primum per ripam custodijs, tanto interuallo quantum ad excipienda mandata & mutuum prospectum satis esse uisum est, clamores undiq; per noctem fieri, ignesq; excitari imperat. Mox ubi transire deliberauit, iam non occulte in castris, sed propalàm parari, quæ ad eã rem pertinebant. Crateroq; in castris relicto, cum suo & Arachotorum equitatu, ex Macedonum phalange, Alceti & Polypercontis copijs, ac earum regionum præsidibus, & ijs præterea quinq; Indorum milibus, in mandatis dedit, ne prius transire conaretur, quàm Porum è contraria ripa, aut uadũ ingressum, aut uictum fugere animaduerteret. Ac si Porus in castris partem exercitus & elephantorum relinqueret, tum cũm omnibus copijs, contemptis hostibus, transire conaretur: quòd elephanti soli essent, qui equis euadendi in alteram ripam facultatem auferrent. Et hæc quidem Cratero mandata. Meleagro autem, Attalo,

&

& Gorgiæ, qui cum mercenarijs equitibus ac peditibus inter insulam & maiora castra curabant, præcipit: postq̃ pugna implicitos uiderint Indos, diuisis copijs traijcere quàmprimum conentur, ipse cũ amicorum equitatu, & Hephæstionis, Perdiccæ, Demetrij, Cliti, Cœniq; copijs, & Bactrianis, Sogdianisq;, & Scythis equitibus, ac Dais, sagittarijsq; & argyraspidibus, atq; Agrianis, aliquantum procul à ripa, clam hostibus, neu rupem atq; insulam à se peti suspicarentur, gradiebatur. Tum per noctem leui materia repletas pelles consui imperat. Adiuuabat ingens uentorum procella, fulminibus imbribusq; immixta, quæ noctu coorta, nec transire parantium uoces, nec armorum sonitus sentiri patiebatur. Naues præterea quas sectas ex Indo flumine uectas diximus, in syluas delatæ, rursum clam hostibus instructæ sunt, arborum proceritate atq; frequentia opus occultante. Sedata tempestate circiter quartam noctis uigiliam, equitatu inflatis utribus, peditatu nauibus, quantum capere poterant, imposito, insulam per silentium peti iubet: ne prius à Pori speculatoribus ex aduerso cõspici possent, quàm traiecta insula ripis appropinquarent. Ipse naui longa subsecutus, & cum eo Ptolemæus, Perdiccas, & Lysimachus ex corporis custodibus: ex amicis Seleucus, cui postea regnare

con-

contigit, ac pars argyraspidum: cæteri alijs nauibus inuecti sunt. Postquàm uero & hostium speculatores in aduersa ripa dispositi, Alexandri copias nauibus impositas ad ripam appellere conspicati sunt, quanta maxima celeritate potuerunt eam rem Poro nunciatum concurrêre. Cæterũ Alexander prior in ripam nullo obsistente egressus, ut quiq; equites primi in terram descenderant, ita eos in aciem instruebat. Sed ignoratione regionis obtigit, uti in locum iniquum descenderit. Insula erat in continenti haud parua: quam eo minus insulam esse apparebat, quòd eam breui tractu exiguus riuus intersecabat, qui tamen nocturno imbri non parum creuerat. Ex quo ab initio non reperto uado metuebant, ne rursum nouo labore opus esset. quo tandẽ inuento, cæterũ difficili, eà traduci exercitus quanq̃ ægrè cœpit. Aquarũ multitudo, ubi minima, peditũ pectora, equorũ uero capita æquabat. traducto exercitu, acies instruit. In dextro cornu alã equitũ statuit ex præfectis equitũ, quos delegerat, eqtibus sagittarijs ante uniuersum equitatũ collocatis. De peditatu primos omniũ argyraspidas regios, quis præerat Seleucus, equitatui adiecit. Post hos regiũ ordinẽ. Tertio loco scutatos, pro ut singulis ductores contigerãt, in aciẽ educit. Extrema peditatus sagittarij, & Agriani, ac iaculatores utrinq; ante acies producti firmabant.

Per hunc modum instructa acie, pedites, qui paulo minus sex milibus erant, iußit lentius sequi: ipse equitatu præualere arbitratus, e equitibus ad quina milia assumptis, celerius agmen mouebat, Taurone sagittariorũ duce sagittarios post se ducere celeriter iusso. Confidere autem uidebatur, quandoquidem Porus sibi in itinere cum omnibus copijs occurreret, fore uti cum equitatu uel superaret eum, uel certe tantisper dum peditatus accederet, illius impetum moraretur. Sin uero Indi improuiso transitu perculsi sese in fugam uerterent, conducere existimabat, peditatũ haud procul à se abesse, quo maiori cæde edita, minus negocij restaret. Aristobulus autor est, Pori filium cum curribus LX. eò prius aduenisse, quàm Alexander maiorem illam insulam cum exercitu transmisisset: potuisseq; Alexandrum transitu prohibere (quippe cui uel nemine obsistente transire difficile fuerit) si Indi è curribus desilire, & ut quiq; primi è flumine in ripam exissent, facto impetu inuadere uoluissent. in quos prætergressos cum Alexander equites immisisset, nonnullis uulneratis subito terga uerterunt. Sunt alij qui tradant, Pori filium cum Alexandro ibidem conflixisse. Cumq; maiores copias Pori filius haberet, Alexandrum ab eo uulneratum: equumq; eius Bucephalum, forma inter equos & generositate quadam spiritus insignem, quem charissimum

Bucephalus. de quo Gell. lib. 5. cap. 2.

mum habebat, ab eodem hasta transfossum interfectumq; esse. At uero Ptolemæus, cui magis assentior, præmissum à Poro filium Alexandri transitu ex speculatoribus cognito, qui eius impetum detardaret: sed cum nõ tanta curruum paucitate (neq; enim uerisimile est, neq; rationi consentaneum) qui quidem si ad speculandum cum tam paucis mittebatur, satis multi erant: sin ad prohibendos transitu hostes qui nondum transissent, aut ad eos inuadendos qui iam in ripam euasissent, satis pauci. Sed ait, illum cũ duobus millibus equitum, ac centũ uiginti curribus profectum. Cæterum Alexandrum ultimo iam modo ex insula traiecto, illius aduentum præuenisse, & aduersus eum equites sagittarios misisse. nam reliquum equitatum agebat, existimans Porum cum totis uiribus aduentare, hosq; ueluti antecursores præmissos esse, atq; ita ulterius progressum. Postquàm per speculatores didicit, quanta ibi multitudo Indorum esset, nec alias apparere copias, fortiter cum equitatu in hostes incubuisse: illos cum impetum ferre non possent, in fugam se uertisse, equitibus circiter CCC suorum cæsis, & in iis Pori filio: amissisq; curribus, qui & in fuga tardiores, & in pugnam (quod terra imbribus limosa ac lubrica uestigium imprimi non sinebat) inutiliores erant. Quæ postquàm Porus ex iis qui fugerant cognouisset, tanto casu commotum,

ancipitis consilij factum esse. Cumq; ij quos cum Cratero Alexander citra flumen reliquerat, accelerare uiderentur, ad postremum statuit, contra Alexandrũ in aciem exire, totisq; uiribus Macedones (utpote firmißimã exercitus partem) inuadere. Itaq; elephantis aliquot & equitibus ibidem relictis, in manentiũ castrorum speciem, qui transire conantibus terrori essent: ipse cum omnibus reliquis copijs (ad quatuor milia equitum erant) CCC curribus, elephantis CC, peditibus ad XXX milia, aduersus Alexandrũ contendit. Cumq; in locum arenosum peruenisset (nam is ad equorũ curruum'ue mißiones conuersionesq; expeditus atq; idoneus uisus est) continuo in hunc modum exercitũ instruit. Elephantos primũ in fronte locat, iugeri latitudine inter se distantes: qui ante peditatum dispositi, Alexandri equitibus undiq; formidinem intendant. neq; putabat quenq̃ ex hostibus siue equitẽ siue peditẽ, per interualla elephantorũ penetrare ausurũ: cũ & equos insolito odore et specie consternaturi uiderentur, & peditatum ipsa mole atq; impetu conculcaturi. Post elephantos statuit pedites iugeri latitudine. Ad hæc in elephantorum turribus pedites imponit, peditatui ab utroq; latere equitatum inducit, curribus ante equitatum dispositis. Hic fuit Pori ordo. Postquàm Alexander conspicatus

Pori acies.

ſpicatus eſt Indos acie inſtructa ſtare, ulterius progredi equites uetuit, donec pedites qui ſequebātur ad ueniſſent. Profectos nō cōtinuo in aciem eduxit, ne ex itinere fatigatos (feſtinātius nanq; acceſſerāt) recentibus Barbaris obijceret: ſed circumequitans, ijs ſpaciū ſui colligendi dabat. Vbi uero Indorū ordinē perſpexit, ſtatuit nō à fronte (qua parte elephanti locati, & per interualla peditatus denſior erat) ſed cū equitū parte, quibus erat ſuperior, in ſiniſtrū Pori cornu inuehi: Cœnum cū ſuis ac Demetrij copijs dextrū petere, qui Barbarorū, ſi in ſuum cornu irruerent, terga cædat. Ad hæc Seleuco, Antigoni, ac Tauroni peditū phalange attributa mandat, ne prius pugnam incipiant, quàm peditatum & equitatū hoſtilē ab equitatu ſuo perturbatū cognouerint. Cumq; intra teli iactum appropinquaſſent, equitibus ſagittarijs circiter mille aduerſus ſiniſtrū hoſtiū cornu repente immiſsis, ipſe cum equitatu amicorum ſiniſtrum cornu repente inuadit, eo cōſilio ut prius perturbatos aggrediatur, quàm eorū equitatus ſeſe in phalangem effundat. Quod hoſtes intuiti, repente infeſtis equis ei obuiā eūt. Cū aūt ijs Cœnus à tergo cū copijs apparuiſſet, & bifrontē aciē facere coacti ſunt, ita ut altera pars contra Alexandrū, eaq; ualidior, altera contra Cœnū conuerſa dimicaret: quo facto, maxime Indorū ordines animiq; perturbati ſunt.

Tum Alexander opportunitate animaduersa, in eos qui in se conuersi erant, maiore ui inuehitur. quem cũ sustinere non possent, sub elephantos tanquam sub muros continuo se recipiunt. Quorum sessores cum belluas ipsas in equitatum concitassent, Macedonum phalanx inuecta, emissis iaculis earum impetum fortiter repressit. Erat hoc pugnæ genus priorum haud quaquam simile. belluæ enim quocunq; uertebantur, Macedonum phalangem, quamuis densa esset, ordine mouebant. Ad hæc Indorum equites, cum omne negocium circa peditatum uerti uiderẽt, denuo conuersi, Macedonũ equitatum inuaserant. Qui cũ iterum ab ijs, qui circa Alexandrum erant, ueluti industria & uiribus superioribus repellerentur, denuo ad elephantos refugiebant. Ac per hunc modum uniuersus Alexandri equitatus, non iam ipsius Alexandri iussu, sed in ipso certamine casu conglobatus confertusq;, quocunq; incidebat, Indorum equitatum cũ multa strage dissipabat. Postquàm uero belluæ pugnando in angustum redactæ sunt, non minus suis quàm hostibus infestæ noxiæq; esse cœperunt, multis suorum dum uel urgent uel cedunt ipsa mole per-tritis. Ad hæc multa equitum cædes, utpote in angusto, edebatur. Simul etiam multi elephantorum rectores, hostium iaculis transfossi cadebant. Elephanti deinde tum uulnerum impatientia, tum quòd recto-

Ab elephantis accepta clades.

ribus carerent, uesanis similes, suos iuxta atq; hostes urgebant, conterebantq;. Tum Macedones ad artes conuersi, irruentibus in se belluis strenue cedere, refugientes iaculis confodere. Postquàm uero elephanti labore pugnæ & uulneribus fessi, segnes excurrere ac tantū clamorem edere cœperunt, & anterioribus pedibus erectis ægrè refugere: Alexander omni equitatu repente hostibus circumfuso, signo dato imperat, uti pedites consertis scutis eódem aduolent. quo facto, undiq; circumuenti Indorum equites, in ipsa pugna propè omnes cæsi. Nec melior erat peditum fortuna, urgentibus circumquaq; Macedonibus: tum omnes præter eos quos Alexandri equitatus circumsteterat, desperatis rebus terga dāt. quod cum Craterus, & alij ab Alexandro in aduersa ripa cis amnem relicti prospexissent (ita enim Alexander mandauerat) & ipsi celeriter amnem cum copijs sibi attributis traijciunt. qui utpote recentiores, non minorem Indorum cædem in ipsa fuga ediderunt. Cæsi sunt ex Indis pedites paulo minus XX milibus, equites circiter tria milia: currus quoq; dissipati. Indorum strages. Ad hæc duo Pori filij interfecti, ac Spitarches Indorū Spitarches. eius regionis præfectus, itemq; ductores elephantorum & curruum, ac penè omnes Pori copiarum duces: elephantis omnibus, præter eos qui in pugna ceciderant, captis. De peditatu Alexandri, ex ijs sex

milibus, qui primi in hostes inuecti sunt, ad LXXX *desiderati. De equitatu sagittariorũ,* X. *de amicorũ, nõ plus* XX. *Ex alijs equitibus fermè* CC. *Porus nõ modo clari ducis, sed etiam strenui militis opera in pugna usus, licet equitum cædem animaduerteret, & ex elephantis alios cecidisse, alios rectoribus uacuos errare, maioremq́; peditatus partẽ interisse: etsi rem desperatam ac perditam intelligebat, non tamen ueluti Darius ille rex opulentissimus, à quo fugæ exercitus initiũ factũ est, trepidus fugit: sed quamdiu partem aliquam suorũ pugnantẽ conspexit, quanquam dextrũ humerum, quem nudum in prælijs ferebat, saucius (nam thoracis crassitudo reliquam corporis partem defendebat) contra hostes pugnare sustinuit. Tandem à suis fugã ex omni parte fieri conspicatus, & ipse elephãto conuerso saluti consuluit.* Pori fuga. *Quem ut cedere Alexander animaduertit, cum saluum ob uirtutem cuperet, quòd eius fortiũ in pugna factorũ spectator fuerat: primũ Taxilam Indum ad eum mittit, qui roget, uti elephantũ sistat. Isq́; citato equo, quantum tutò appropinquare posse uisus est, ad eũ profectus substitit, Alexandri mandata uti acciperet rogans. Porus, Taxile audito, qui cum sibi ueteres inimicitiæ erant, conuersus, nullo responso dato, lancea eum petiturus uidebatur. Quod cũ Taxiles animaduerteret, celeriter præuerso equo, ad Alexandrum*

Dissentit ab Arriano Curtius in 7. ad finẽ. Plut. conuenit magis. uide Orosiũ, & Iustinum in 12.

drum rediit. Alexander nihilominus alios atq; alios submittebat: inter quos Meroën Indū, quem illi diuturna amicitia deuinctū cum audisset, in id maxime idoneum existimauit. Cuius hortatu simul & siti uictus Porus, elephantum continuit, atq; ex eo descendit. deinde allata aqua recreatus, ad Alexandrum cum Meroë profectus est. Quem ut Alexander appropinquare accepit, ante acies progressus, cum paucis amicorum sibi obuiam processit. Quem ut uidit, continuo substitit, admiratione quadam magnitudinis eius captus. erat enim quinq; cubitorum, & forma cunctis corporis partibus longe decora, generositate præterea quadam animi nihil humile aut abiectum (& si uictus esset) præ se ferente: ut qui pro regni sui tuitione, rex aduersus regem castris congredi, ac decertare nequaquam dubitasset. Tum propiorem factum, ac perhumaniter susceptum consolatus, quicquid sibi optaret, cum à se peti iussisset: Id modo à te opto petoq;, ait, uti me regiè tractes. Cui arridēs Alexander: Id quidem tibi uel mea causa facturus sum. Tu quid uelis optesq;, tua causa postula. Cui Porus, omnia quæ cuperet, eo uerbo quod dixerat contineri respondit. Quo responso Alexander lætior, eū nō solū in libertatem ac regnum restituit, sed etiam imperio longè auxit: eoq; postea amico ac fideli perpetuo usus est.

Plut. quatuor cubitis, & palmo.

Hoc idem Iustinus in 12. Oros. in 3. Curt. et Plut. in Alex.

De Bucephalo præter alios etiam Gell lib. 5. cap. 2.

Hæc pugna ad Hydaspem, Hegemone Athenis summum magistratum obtinente, gesta est. Post hæc Alexander in sempiternam nominis gloriam ultra Hydaspem, ubi pugnatum est, & item cis Hydaspem, unde mouerat, urbes condidit: & illam quidem ulteriorem à uictoria Nicæam, hãc Bucephalam ab equo suo nominari uoluit. de quo quide equo non erit alienum, uti arbitror, aliquid hoc loco memorare. Forma fuit & natura præter cæteros equos insigni, magnitudine quæ mediocrem excederet, spiritu alto ac generoso, taurino capite: cuius rei causa id sibi nomẽ inditum. uel quòd (ut alijs placet) cum toto corpore niger esset, albam in capite maculam taurino capiti maxime similem, habuerit. Nullum omnino sessorẽ præter Alexandrum dignatus est unquam. Hunc cũ apud Vxios amisisset Alexander, summa cura conquiri iussit: Vxijs exitium minatus, ni continuo redu cerent. isq; redditus est. Ex multis periculis in prælio regem eripuit, multumq; ei ad gloriam contulit. Ad postremum, trigesimum iam annum nactus, non ullo uulnere, sed ætate simul & labore æger factus, in castris, unde mouerat, citra Hydaspem uitam finijt. Nunc ad historiam redeamus. Alexander ijs qui prælio ceciderãt conquisitis, ac pro dignitate sepultis, sacrificium ludosq; in Hydaspis ripa, unde transiens mouerat, uictoriæ causa edidit. Deinde Cra

tero

tero cum parte copiarum, qui urbes conderet, reli-cto, ipse aduersus Indos Pori regno finitimos pro-cessit. Glaucanicæ appellabantur, ut Aristobulus in-quit: ut Ptolemæus, Glausæ. Erāt cum eo pedites de-lecti, omnesq; sagittarij equites, & Agriani, ac sagit-tarij, & amicorum equitum pars. Cæterum Glauca nicæ metu eius perculsi, postquàm Porum ab eo uictū cognouerunt, sese uoluntariè in eius fidem dedere: urbibus XXXVII traditis, quarum quæ minima erat, non minus quinq; milibus hominum contine-bat, pleræq; earum supra dena milia. Pagorū quoq; magnorum frequentia ea prouincia celebris erat, quam totam Pori regno addidit. Post hæc Taxili, Poro per se reconciliato, ad suos reuertendi potesta-tem fecit. Dum hæc geruntur, legati ab Abisare ad Alexandrum uenere, qui se suaq; omnia in fidem eius darent. Cogitauerat Abisares ante Pori cladem cum Poro se iungere, in belli aduersus Alexandrum so-cietatem. Verum illius consilium Pori res aduersæ mutari coëgerunt. Itaq; quo magis sibi Alexandrum conciliaret, fratrem quoq; cum legatis misit: & cum ijs pecuniam, atq; elephantos XL. Ab Indis quoq; liberis legati profecti sunt, & item à Poro alio In-dorum præfecto. Alexander repudiatis muneribus, Abisarem ad se proficisci iussit: ni ita faceret, grauiter interminatus. In hoc rerū statu Phrataphernes Par-

Glaucanicæ. Glausæ.

Abisaris legati.

Porus alter.

p 5 thorum

thorum atq; Hyrcaniæ satrapes, cum Thracibus sibi cōmissis ad Alexandrū accessit. Cumq; nuncij à Sisilo Assacenorum satrape profecti, Assacenos prætore interfecto arma sumpsisse nunciassent, continuo Philippum ac Tyriespim cum parte copiarū, qui eorum motus compescant, ire iubet: ipse cum reliquo exercitu ad Acesinē amnem pergit. Huius duntaxat apud Indos fluminis magnitudinē Ptolemæus scribit XV stadia latitudine occupare, ingentem aquarum molem uehere cursu rapidissimo, magnis & acutis cautibus interiectis: quibus illisæ ac repercussæ, ingentes inde æstus & uortices concitant, ac propterea nauigantibus terrorem discrimenq; inferunt. Ab ea maxime parte Alexander nauibus et utribus inscensis, exercitum transuexit. qui utribus transportati sunt, ijs facilior transitus fuit: qui uero nauibus, magnis incommodis sunt afflicti. pleræq; enim cautibus illisæ, confractæq; sunt: uiris, qui inuehebantur, desideratis. Ex hac re coniectari licet, non multum à uero abhorrere, quod de Indi amnis magnitudine traditum est ab ijs qui scribunt, quà latior est, ad XL. quà uero angustior, ad XV stadia patêre: hunc modum in plerisq; eius partibus obseruatum esse. Alexandrum autem existimo, quà latior amplior q; erat, quòd ibi minus rapax minusq; uiolentus esset, exercitum traduxisse. Post hæc Alexander traiecto flumine

Indi flu. magnitudo & latitudo.

flumine, Cœnoq; cum copijs suis cis flumen relicto, qui curaret cæterorum transitum, quos in Indos *à se uictos miserat, uti frumenta & cæteros commeatus inde in castra comportaret,* Porum *in regnum remisit, lectam popularium suorum magnum, item elephantos si quos haberet domitos mittere ad se iussum.* Cogitabat *autem alterum* Porum, *cum leuißimis & expeditißimis totius exercitus persequi: quem nunciabant deserta prouincia, cui præerat, abijsse.* Hic, *dum* Alexander *cum* Poro *rege bellum gerebat, magis* Pori *odio quàm beneuolentia in* Alexandrum, *legatis mißis, sese suaq; omnia in* Alexandri *fidem dederat. postquàm uero* Porum *reconciliatum* Alexandro *agnouit, nec solum in patrium regnum restitutum, sed multum insuper illius regno additum: non tam* Alexandri *quàm* Pori *metu assumptis fugæ comitibus, ijs qui bello idonei uidebantur, patria excesßit. Cumq; aduersus eum proficisceretur, ad* Hydraotem *flumen, latitudine quidem* Acesini *parem, cæterum cursu aliquanto inferiorem profectus, in omni ea regione idoneis quibusq; locis præsidia disposuit, ut ij quos cum* Cratero *&* Cœno *reliquerat, tutò ad se proficiscerentur. deinde* Hephæstionem *cum duabus phalangibus, de equitatu uero suo, ac* Demetrij *ordine ac sagittariorum parte mittit, qui deserta à* Poro

oppida

oppida atq; agros, cæterosq; præterea Hydraotis accolas, in Pori regis & amici potestatem redigat. Ipse pertransito flumine, non eo quidem labore quo Acesinem traiecerat, cum regionem illam peragraret, incolis metu perculsis, pleriq; eorum in deditionem uenerunt: nonnulli tamen correptis armis obuiam ire, alij in fugam spem ponere. quos omnes persecutus, debellauit. Inter hæc Alexandro nunciatum est, ex liberis Indorum populis alios quosdam, sed eos præcipue quos Cathæos uocant, paratos esse, si eò accederet, decertare: Indosq; finitimos in belli societatē sollicitari, deposciq;, urbem situ munitā esse, ubi castris positis manere & cum ipso depugnare statuissent (Sangala urbi nomen erat) Cathæos ipsos fortes uiros, & rebus bellicis consilioq; finitimos anteire existimari: cum ijs consentire Oxydracas, ac Mallos, Indorum gentes, & ipsos bello claros: aduersus quos paulo antè & Abisares, & † Porus coniunctis uiribus, multis præterea Indorum in societatem ascitis, profecti bello frustra suscepto retrocessissent. Quibus acceptis Alexander aduersus eos contendit, atq; altero die non procul ab urbe Pimpramis peruenit. Ea gens Adraistæ appellabatur: ijq; sese statim sine ui in Alexandri fidem dederunt. Exercitui deinde biduo quiete data, uersus Sangala, quò Cathæorum ac finitimorum copiæ castris sub urbem positis

Cathæi.

Sangala.

τῶρος habebat Græcum exemplar.

Pimprama.

Adraistæ.

positis conuenerant, proficiscitur. Et quoniam is collis non undiq; satis munitus ac tutus uidebatur, quòd esset ex aliqua parte ascensu clementior, triplici ordine in circuitu dispositis curribus castra munierat. Alexander ubi eò peruentum, castris positis, naturã loci ac Barbarorum multitudinem contemplatus, ubi expedire uisum est constitit. præmissis interim equitibus sagittarijs, qui castra hostium circumuecti, eorum impetum morarentur, ne prius in suos erumperent, quàm se ad pugnã comparasset. Deinde acies in hunc modum instruit. In dextro cornu equites, & Cliti copias, post hos argyraspides locat. In sinistro, qua parte Perdiccas curabat, ipsius Perdiccæ copias, & † Asthenesteros, sagittarijs in utrunq; cornu diuisis. Inter hæc superueniunt pedites, atq; equites præsidio relicti. Equites in utrunq; cornu deducit: pedites phalãgi, quo densior fieret, adijcit. Post hæc cũ equitatu, quem dextro cornu cõstituerat, contra Indorũ currus, qui in sinistro cornu erãt, quà collis facilius subiri posse uidebatur, aduerso monte succedit. Postq̃ aũt Indos uidit in castris se continere, ac tantũ inscensis curribus supernè iacula emittere: non equitis, sed peditis negocium esse id censuit. Itaq; protinus relicto equo, phalangem eódem adducit. Et ab anteriore quidem curruum ordine, sine magno negocio Indi à Macedonibus repellebantur. cæterũ ubi

Alexandri acies.

τὰς τῶν ἀσθενέστερων τάξεις.

ad altera eademq; angustiora munimenta uentū est, conferti conglobatiq;, locum facile tutabantur. Macedonibus econtrà hæc aduersa erant: qui per aperta et spaciosa loca subeuntes, primis curribus distractis, prout cuiq; cōmodum erat, hostes paßim atq; incompositè aggrediebantur. Sed & hinc quoq; acri prælio cōmisso, adnitentibus summa ope Macedonibus, amißis curribus Indi repulsi sunt. Cumq; interius penetrassent Macedones, hostes non tulere impetū: sed protinus terga dantes, destituto colle sese in urbem receperunt. Potitus castris Alexander, urbē, quantum peditatu potuit complecti, obsidere pergit. nam quòd murus in circuitu paulo amplior erat, circumsidere non poterant. Quà uero peditatus intermiserat (nam stagnum quoddam erat haud procul à muris) equitatum constituit, ratus per id stagnum, quòd esset modicæ altitudinis, Indos accepta clade territos, noctu deserta urbe discessuros. Nec eum fefellit cogitatio. nam circiter secundam noctis uigiliam pleriq; eorum tacitè egreßi, cum in custodes incidissent, cæsi sunt. alij sese circumsessos sentientes, protinus in urbem refugerunt. Quo cognito Alexander urbe tota, præterquàm stagnum tenebat, duplici uallo circundata, cogitabat tormentis admotis muros quatere. Cumq; transfugæ quidam nunciassent, Indos ea nocte constituisse, quà uallum intermissum

Indi repulsi a Macedonibus.

termissum erat effugere: Ptolemæum Lagi cum tribus milibus argyraspidum, & Agrianis, & parte sagittariorum confestim mittit, quà Barbaros tenturos fugam maxime suspicabatur: mandatis traditis, ubi sensisset eos eruptionem facere conari, signis tubarum coërcendos, ducibus audito signo eódem repente aduolare iussis. Profectus Ptolemæus, complures currus ex ijs quos in prælio cœperant transuersos coniunxit, quo fugæ difficultatem per noctis tenebras fugientibus Indis augeret. ad hæc uallum, quod nondum ad extremum perductum fuerat, eadem nocte summo militũ labore perfectum. Sub quartam noctis uigiliam Barbari patefactis portis, quæ ad lacum ferebant, exire conati sunt. Quod cum Macedones sensissent, confestim dato signo, eò aduolant. obstabant Indis, & uallum, & currus oppositi, & hostium manus: quibus difficultatibus circumuenti, sese rursus in urbem condiderunt, quingentis fermè suorum desideratis, inter currus euadere tentantibus. In hoc rerum statu Porus ad Alexandrum rediit, quinis ferè popularium milibus elephantisq; quos reliquos habebat adductis: quæ uirium accessio, oppidanis desperationem auxit. Iamq; perfectis operibus tormenta muro admouebantur, cum Macedones lateritio muro suffosso, scalisq; in circuitu applicatis, urbem cœperunt.

In eo

In eo prælio tanto ardore pugnatum, Barbarorũ ad decem & septem milia cæsa, supra LXX milia capta, currus CCC. equites D. De Alexandri exercitu in tota expugnatione non plus centum desiderati, supra mille ac ducentos uulnerati: in quîs Lysimachus, & alij quidam copiarum duces non obscuri. Post hæc Alexander ijs qui in prælio ceciderant de more humatis, Eumenē scribam ad illas duas ciuitates, quæ cum Sangalensibus consenserant, dati CCC equitibus mittit, qui denunciet Sangala urbē à se expugnatam: se tamen eos pro amicis habiturum si præsidiũ suum sine ui admittant. neq; enim detrimenti quicq̃ à se passas esse cæteras Indorũ liberorum ciuitates, quæ uoluntariæ in deditionē uenissent. Sed iam de singulis captis edocti, oppida deserere inceperant. Quo cognito Alexander confestim eò profectus, nouißimosq; nactus, quingentos eorum ex ipsa fuga retractos occidit. Postquàm uero intellexit fugam eorũ sisti non posse, retro conuersus Sangala diruit: Sangalensium agris Indis liberis, qui sese in fidem suam dederant, traditis. Deinde Poro cum copijs suis misso, qui in urbes, quas receperat, præsidia induceret: ipse cum exercitu ad Hyphasin amnē pertendit, uti Indos qui trans flumen habitabant, ad deditionem cogeret. neq; enim apparebat ullum bello finem futurum, quamdiu in ipsis Indis aliquid hostile

Eumenes scriba.

Sangala diruta.

Hyphasis flu.

stile superesset. Audiebat ex finitimis, regionem illã trans amnem fertilem atq; opulentam esse, incolas culturæ agrorum studere, bello multum ualere, administrari eorum respub. ab optimatibus: ab ijs nihil iniustum, nihil turpe committi, aut imperari multitudini: maiorem elephantorum numerum apud eos, quàm apud finitimos esse: ipsosq; elephantos magnitudine corporũ, & robore cæteros excedere. Quæ Alexandro nunciata, multo magis stimulabant animum gloriæ auidum, uti ulteriora peteret. at Macedones iam saties cœperat, uidentes regem nouis semper laboribus labores, periculisq; pericula addere, neq; ijs finem imponi. Fiebant clandestini in castris conuentus, aliorum qui æquiore animo erant, fortunas suas deplorantiũ: aliorũ se non secuturos regem, si ducere uellet, affirmantium. Quæ postquàm Alexander cognouit, prius quàm seditio longius serperet, ducibus ordinum conuocatis, hunc in modum concionem habuit. Cum intelligam uos ô Macedones ac socij non eadẽ uoluntate & studio, quo prius, pericula unà mecũ capessere, uos iccirco huc uocaui, uti uel persuadendo uos in ulteriores terras mecum adducam, uel à uobis persuasus retro ipse conuertar. Nam si labores quos hactenus suscepimus, si pericula quæ adiuimus, uobis mihiq; (qui dux uester fui) dedecori sunt, haud opus est me plura dicere. Sin uero

Alexandri oratio ad Macedones.

Gentiũ hactenus ab Alexãdro deuictarũ subactarũque catalógus.

» per hos labores tenetis Ioniam, Hellespontũ, utranq;
» Phrygiam, Cappadociam, Paphlagoniam, Lydiam,
» Cariam, Lyciam, Pamphiliam, Phœniciam: si Aegy
» ptum, cũ Libya Græca, Arabiæ partem, Cœlosyriã,
» Mesopotamiam, Babylonem, Susas, Persas, Medos,
» Parthiam, & quicquid sub Persarum ac Medorum
» regno fuit: si ultra portas Caspias, [illegible]
» naim amnes: si in Bactrianos Hyrcanosq; imperium
» protulimus: si Scythas in solitudines suas reppuli-
» mus: si deniq; Indus, Hydaspes, Acesines, Hydraotes,
» celeberrima flumina ditionis nostræ fecimus: quid
» uos tandem pigeat Hyphasim, & gentes quæ ultra
» Hyphasim incolunt, Macedonũ regno gloriæq; ad-
» iungere? An dubitatis, ij'ne quoq; Barbari uinci à no
» bis poßint? quorum alij uoluntariè in deditionem
» ueniunt, alij in fuga capiuntur, plures etiam oppida
» uacua et deserta nobis relinquunt. Ego uero nullum
» alium laborum finem generoso animo, quàm hone-
» stos & gloriosos labores statuo. Si quis tamen cu-
» piat ex me scire, qui'nam sit futurus huic bello finis,
» sciat non multum terrarum nobis ad Gangem flumẽ,
» & orientalem Oceanum restare: quem quidem Ocea
» num (circuit enim terrarum orbem) cum Hyrcano
» mari contineri iudicabitis. ostendam uobis Indicum
» sinum cum Persico, Hyrcanum cũ Indico continua-

Herculis columnae

» ri. A Persico mari in Lybiam ad Herculis columnas,

cum

cum classe nostra nauigabimus: omnemq; Lybiam, quæ intra columnas sita est, in nostram potestatem redigemus. Sic & uniuersa Asia nostri iuris atq; imperij fiet: eruntq; ijdem & orbis terrarũ, & imperij nostri termini. Nunc reuertentibus nobis multæ trans Hyphasim bellicosæ gentes relinquuntur, multæ etiam & in Hyrcaniam & Septentrionem uersæ: à quibus Scythæ non longæ absunt. Quapropter ualde timendum est, ne redeuntibus nobis, quæ tantis laboribus ac discriminibus adepti sumus, per ea quæ intacta relinquimus, quoniam haud stabili loco sita sunt, breui amittamus. Hi enim quos adhuc uicimus, earum gentium, quæ supersunt, auxilio freti, à nobis quamprimum deficient. Atq; ita diuturni ac magni labores nostri perierint, aut certe nouis laboribus ac periculis denuo incumbendum erit. Quamobrem pergite quæso, uiri fortes. Labores enim ac discrimina pro re honesta aggredienti bus, ut uiuere, sic mori dulce est: cum immortalem sui nominis gloriam posteritati relinquere se sciant. An ignoratis, Herculem progenitorem nostrũ nunquam eam gloriam consecuturum fuisse, ut deus ex homine fieret, uel censeretur à mortalibus, si uel Tirynthe, uel Argis, Thebis ue, uel in Peloponneso segnis permansisset? Sed neq; Dionysij, qui maior Hercule deus habetur, aut exigui aut pauci labores fuere.

Hercules

Dionysius.

Petra Aornos, de qua supra satis.

» *At nos & ultra Nysam accessimus, & petram Aornon, quam Hercules ipse capere non potuit, expugnauimus. Itaq; quæ Asiæ reliqua sunt, ijs quæ tenemus, & hæc pauca tam multis adijcite obsecro: nisi uos gloriæ uestræ tedet, pigetq;. Nam quid magnum aut memorabile in uita egissemus, si Macedonia contenti, laboris expertes, satis nobis habuissemus prouinciam nostram tueri, Thracibus modo, Illyrijs, Triuallis depulsis: ac Græcis, qui nobis inimici aut infesti essent. Quod si laboribus ac periculis uestris ego me, dux uester, subducerem: nō iniustus fortasse läguor uester uideretur. Sed uidetis me labores ac pericula cōmunicare, præmia in medio ponere. Omnis hæc regio quam debellauimus, uestra est, uos ei præestis, uos eā tenetis, nomē modo meū est: auri argentiq;, & Asiaticæ opulentiæ pars magna, iam in uestra potestate est. Sed ubi tota Asia potiti fuerimus, tum spero per Iouem fore, uti non solum cupiditates uestras expleam, uerum etiam uota exuperem. Confecto bello, ijs qui domum reuerti uoluerint, abeundi potestatem faciam, aut ipsemet reducam: qui uero permanere optauerint, sanè præstabo, ut recedentibus inuidiosi fiant.* Quæ cum dixisset, milites diu mæstum silentium tenuit. nam neq; refragari Regis uoluntati propalàm, neq; assentiri audere. Cumq; dicere sententiam iuberet, manebant tamen

omneis

omneis in eodem oris habitu defixi: tandem silentibus cæteris, Cœnus Polemocratis hunc in modum orsus est. Quoniam tu, ô Rex, non cogere uelle Macedones dixisti: sed si persuaseris, te ducturum ulterius: sin minus, non compulsurum inuitos: ego nō pro ordine nostro (qui summis honoribus à te affecti, præmia laborum per magna iam pleriq; accepimus) sed pro multitudine uerba faciam. nec ea dicam adulandi causa, quæ ipsis iocunda: sed quæ in præsentia & ipsis utilia, & in posterum securitatem afferre posse existimem. Neq; enim æquum censeo, ea à me reticeri, quæ optima factu iudico. id iam neq; ætas, neq; dignitas mea patitur: quod etiam, ut liberius eloquar, me hortantur labores & pericula, tuæ gloriæ causa à me sepius suscepta atq; adita. Quo enim plura ac fortiora facinora te duce gessimus, qui te in hac laboriosa expeditione, relicta patria secuti sumus: eo magis conducere arbitror, modum aliquem laboribus ac periculis imponi. Vides ipse, ex tanta Macedonum & Græcorum multitudine, qui tecum unà domo discessimus, ad quantam paucitatem redacti simus. Thessalos, cum sentires iis militiam grauem esse, ex Bactris (ut fieri decuit) domum remisisti. Ex cæteris Græcis, alij in urbibus quas condidisti, non usquequaq; tamen uoluntate sua permanent: alij tecū labores ac discrimina capessen-

Cœni oratio ad Alexan.

tes, tam ipsi quàm Macedones, multos suorum pugnando amiserũt. Ad hæc pleriq; ex uulneribus inutiles facti, nonnulli etiam alij alibi, cum sequi agmen non possent, à nobis in itinere relicti: plurimi quoq; morbo confecti: ut ex tanta multitudine militũ, pauci admodum superſint, qui [redacted] gam ac laborioſam militiam imbecilliores facti, multo tamen magis animis feſsi fractiq; ſunt. Hi omnes naturali quodam deſiderio, quibus adhuc parentes uiuunt, domum rapiuntur. Alios deſiderium coniugũ liberorumq;, alios † patriæ mouet: quam ſi uidere expetunt, honore ac dignitate per te aucti ditatiq;, non indigni uenia uidentur. Te uero non oportere exiſtimo inuitos in pericula amplius ducere. neq; enim ipſis iiſdem poſthac utêre, quibus animus à rebus bellicis procul aberit. Te uero domum, ſi ita tibi uidebitur, reuerſo, poſtquàm matrem uideris, resq; Græciæ compoſueris, & haſce tam multas ac tam ingentes uictorias in paternam domum intuleris, parare denuo exercitum licebit: ſiue hiſce Indis qui orientem, ſiue Scythis qui Pontum incolunt, ſiue Carthagini, aut etiam Lybiæ quæ ultra Carthaginem eſt, inferre bellum decreueris: tum tibi liberum erit, bona militum uoluntate, quócunq; uolueris ducere. Sequentur te Macedones iuniores pro hiſce ſenioribus, uiribus integri pro feſſis.

† Bulgariam hodie uocant.

ſis. quibus res bellicæ, quamuis fuerint inexperti rerum, non modo non fugiendæ: ſed etiam propter ſpes, quas ipſi ſibi ingentes proponent, ultro optandæ uidebuntur: cum uiderint nos, qui laborum tuorum participes fuerimus, ex pauperibus diuites, ex obſcuris claros domum reuertiſſe. Perpulchra uero res eſt, ſi quicquam aliud in rebus humanis, uel proſperis rebus, animi moderatio. Tibi quidem, huius inuicti exercitus imperatori, non uideo cur hoſtis ullus metuendus ſit: cæterum fortunæ inconſtantia atq; temeritas, cuius ictus omnino effugere mortalis nemo quamuis ſapiens poteſt, pertimeſcenda eſt. Quæ poſtquam Cœnus elocutus eſt, mœſtitia ingens omnes qui audierant cœpit. multis profuſæ cum ſingultibus per ora lachrymæ, inuoluntariam militiam, ſi cogeret, teſtabantur. Alexander Cœni oratione, ac cæterorum ducum confeßione haud dubia grauatæ militiæ commotus, illico concionem dimiſit. Poſtero die iiſdem denuo in concionem uocatis, ne dißimulata quidem indignatione, decreuiſſe inquit ulterius pergere, coacturum uero neminem: habiturum ſe tantum milites, regem ſuũ uoluntariè ſequentes: cum his, quæ expugnanda ſupereſſent, aggreſſurum. Volentibus domum reuerti, futuram per ſe abeundi poteſtatem, ac nunciandi ſuis, Regem in medijs hoſtibus à ſe deſtitutũ.

Alexandri aſtuta ad retinendos Macedonas ſimulatio.

Quæ cum dixisset, protinus in tabernaculum se contulit, nemine ac ne ullo quidem amicorum eo triduo admisso: de industria obseruans, si qua forte animorũ mutatio (ut fit plerunq; in multitudine) à Macedonibus ac socijs fieret. Cæterum uniuersus exercitus in eodem silentio perseuerabat, nec erat ambiguum indignatione Regis commotos: Alexander nihilominus in proposito perstabat. Sed cum pro transitu sacrificans non litasset, tum primis amicorum con-
» *uocatis: Postquàm omnia, inquit, progredi me lon-*
» *gius uolentem retrahunt, reuerti statui. Qua uoce in multitudinem peruulgata, ingens ad cœlũ clamor lætitia immistus repente sublatus est: alijs præ gaudio lachrymæ cadebãt, alij tabernaculum regis ingreßi, omnia illi bona & secunda precabantur, gratiasq; agebant, quod à se unis uinci permisisset, cum quidem per cæteras gentes inuictus esset. Post hæc diui-*
Aræ XII diis extructæ. *so exercitu, XII dijs aras statuit turrium altitudine, cæterum latitudine paulo ampliore: quod ipsum tam procul à domo ac patrio regno uictorem perduxissent: laborum suorum gloriæq; perpetua monumenta. Tum sacrificio perpetrato, ludisq; gymnicis & equestribus editis, totaq; ea regione ad Hyphasim amnem Pori imperio adiecta, ipse ad Hydraotem flumen conuersus est. Quo traiecto, ad Acesinem retrocesßit. ubi, quam urbem Hephæstion condere iussus*

fuerat,

fuerat, ædificatam reperit: in quam inductis finitimis, quicunq; sua uoluntate in eam cõmigrare uoluerunt, item ex mercenarijs quicquid imbelle erat, cum in Oceanum nauigare decreuisset, necessaria in classem parare cœpit. In hoc rerũ statu Arsaces prouinciæ Abisari finitimæ præfectus, atq; Abisari ipsius frater, cũ amplissimis muneribus ad eum uenere: in quis muneribus elephanti XXX ab Abisaro missi, causato, se ob ualetudinem ad eum, uti iussus fuerat, proficisci non posse. Quod cum legati ab Alexandro missi confirmarent, facile persuasus Abisaro concessit, uti potestatem, quam haberet, retineret, atq; Arsaci pareret: tributisq;, quæ quotannis penderent, taxatis, super Acesine rursus rem diuinã fecit: coq; pertransito, ad Hydaspem se contulit. Quo in loco aliquantum moratus, quicquid in Nicæa ac Bucephalis, urbibus à se conditis, imbres corruperant, militum opera restituit. Quibus perfectis, ad cætera ordinanda, quæ ad eam regionem tuendam pertinere uidebantur, protinus conuersus est. Arsaces.

ARRIANI NICOMEDENSIS de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum, Liber Sextus.

Alexandri ad Oceanum profectio.



ARATIS iuxta Hydaspis ripam nauibus, quæcunq; ad uehendum exercitum idoneæ uidebantur, statuit Alexander Oceanum inuisere. Prius autem cū in Indo flumine crocodilos uidisset, quemadmodum & in Nilo: nec procul ab Acesinis ripis fabas enatas, quales Aegyptia tellus sua sponte gignit: audissetq; Acesinē Indum influere, Nili se caput reperisse arbitrabatur, suspicatus eum è proximis locis oriri, ac per uastas solitudines se ferentem nomen amittere: deinde per cultas regiones rursus reuolutum, Nilum ab Aethiopibus & Aegyptijs uocari, quem Homerus eodem nomine quo prouinciam nominasset: & ad ultimum in mediterraneū mare erumpere. Namq; ad Olympiadem Alexander de Indorum regione scribens, & alia quædam, & hoc quoq; imprimis scribit, opinari se Nili fontem reperisse: paruis illis ac leuibus coniecturis, quas dixi, motus. At uero cum postea ab indigenis edoctus esset, Hydaspem quidem in Acesinem,

Nili fons.

Hydaspes.

sem, Acesinem uero Indum illabi, ac nominis honori cedere: Indum autem duplici hostio in Oceanum exire, nec ad eum quicquam Aegyptum pertinere: cum ex epistola, quam matri scripserat, quod de Nilo dixerat auferri corrigiq; mandauit: cumq; animaduerteret proficisci in Oceanũ, remigio aptari naues Phœnicibus, Cyprijs, Caribus atq; Aegyptijs ad eam idoneis, qui exercitum sequebantur, in eum usum delectis. Inter hæc Cœnus, quo Alexander inter fidelißimos amicos utebatur, morbo confectus decesit. Quo magnifice sepulto, conuocatis amicis, atq; omnibus Indorum legationibus ad se profectis, uniuersæ Indicæ regionis à se uictæ, gentium quidem omnino septem, urbium autẽ supra bis decies mille, Porum regem constituit appellauitq;. Post hæc exercitũ per hũc modũ diuidit. Argyraspides omnes, item sagittarios & Agrianos, ac partem equitum secum nauibus imponit. Craterum à dextra fluminis ripa, cum magna equitũ ac peditum manu: Hephæstionem à sinistra, cum maiore ac meliore exercitus parte, cumq; elephantis circiter CC terrestri itinere ire iubet, mandatis traditis, uti † ad Sophitis regiam contendant: Philippo præfecto regionis ultra Indũ amnem, quà ad Bactrianos uergit, ut triduo post cũ omnibus copijs sequatur imperat. equites Nysæos domum remittit, uniuersæ classi Nearchũ præf...

Acesines. Indus.

Cœni mors.

Exercitus Alexandri diuisio.

τὰ σωπύθε βασίλεια.

Onesicritus de quo Curtius 8. Onesicritum nauis suæ gubernatorem instituit: qui in historia, quam de Alexandro conscripsit, hoc quoque mentitus est, quod se Nauarchum inscripsit, cum gubernator fuisset. Erat autem nauium numerus, Ptolemæo autore, quē ego maximè sequor, ex omni nauium genere circiter duo milia. Paratis necessarijs, Alexander sub lucem classem inscendi iubet. Sacrificio deinde Herculi progenitori, & Ammoni, ac cæteris dijs quibus consueuerat perpetrato, & item Hydaspi fluuio, quibus hostijs augures monebant: & ipse classem conscendit, simul in prora stans, Hydaspe atq; Acesine inuocatis, quem Acesinem acceperat haud procul inde cum Hydaspe misceri: & item Indo, quem Acesines influit, aurea phiala libauit. His peractis, tuba discessum significari imperat. quo audito confestim naues, ut erat imperatum, ex ordine moueri cœperunt. Erat autem constitutum, quanto interuallo naues quibus impedimenta uehebantur, quantoq; onerariæ quæ equos deportabant, quanto item quæ bello aptæ erāt, ne inuicem colliderentur, seiunctas ire oporteret: nec si quæ uelociores erant, ut extra ordinem procederent permissum. Spectaculi magni instar erat, audire remorum sonitum, remigantium & eorum qui remigibus imperabant uoces, quas repercussæ ripæ plerisq; locis editiores, & syluæ utrinq; circumiectæ usq; adeò augebant, ut inco-

incolentibus circa amnem Barbaris stuporem inferrent. Equi quoq; nunquam antea apud Indos in nauibus uisi (nanq; de ulla Dionysij classe, memoria non extat) Barbaros magis admirari cogebant: cuius rei studio abeuntem classem longo spacio secuti sunt. Remotiores quoq; iam ab Alexandro uicti, ad quos is sonus peruenit, certatim ad ripas decurrentes, Barbarico ritu canentes sequebantur. namq; Indi præter cæteras gentes cantus & saltationũ studiosi sunt, ex quo die Dionysius in ea loca profectus est. Atq; ita secundo amne delatus, eò peruenit, ubi Hephæstion & Craterus in aduersa ripa iussi castra fecerant. Ibiq; biduo Philippum moratus, profectum ad se ad Acesinem mittit, iuxta ripam iter facere iussum: Craterum & Hephæstionē persequi iter præcipit. ipse per Hydaspem amnē cursum continuabat, nusquam XX stadiorum spacio angustiorem. Vbicunq; appropinquare ripis cõtingebat, Indi fluminis accolæ alij uoluntate, alij ui in ditionem ueniebant. Contendebat autem magna celeritate in Mallorum & Oxydracum fines, quòd magnam manum Indorum pugnacissimorum ibi coactam acceperat: eo consilio, ut traductis in oppida munita uxoribus ac liberis, atq; omni ætate imbelli, ipsi prælio decernerent: atq; ideo magis magisq; festinabat, quo imparatos & perturbatos offenderet. Sexto die eò peruenit, ubi Hydaspes

Indi cantus et saltationum studiosi.

Malli. Oxydracæ.

ſpes in Aceſinē ſe ingerit. Ibi quòd hæc duo flumina in arcto coeunt, quodq́; ingentē aquarũ molem admirabili quadā celeritate conuehunt, maxima colluctatio erat: rapidiq; uortices atq; undarũ cumuli longo ſpacio inter ſe colliſi, alteq; ſpumā attollentes, cũ terrore ac trepidatione aſpicientiũ procul apparebant. quæ niſi prius ex incolis cognita eſſent, longe maius terroris haud dubie allatura erāt. Poſtq̃ uero claſsis cõfluentibus propior fieri cœpit, tantus ex ſtrepitu ſonitus remigũ aures cõpleuit, ut attonitis ſimiles brachia remitterent: ipſis quoq; gubernatoribus rei nouitate ſuſpēſis. Receptis deinde pauliſper animis, remiges iubentur ſumma ui remos trahere, & diuerberato aquarũ impetu, neu naues abſorberēt, uortices frangere. Et rotundæ quidē naues, quas contigit, à fluxu circũferri, nihil aliud præter eorũ qui inuehebantur perturbationē quandā paſſæ ſunt. Ceterũ naues longæ, utpote humiliores ac ſuper undas minus extantes, præſertim quæ duorũ ordinũ erant, et remis utebantur aquæ propioribus, nõ parũ detrimenti acceperũt. nā cũ fluctibus percuſſæ alterũ latus attollerēt, pendentes remos undarũ impetus protinus infringebat. Multæ earũ quaſſatæ, duæ inter ſe colliſæ perierũt, ijs qui inuehebātur magna ex parte deſideratis. Poſtq̃ amnis latius pandi cœpit, mitiore iā curſu, minusq; uiolentis uorticibus, Alexāder claſſem in dextrā ripā flecti imperat. is enim locus ſibi maxime

maxime cõmodus uisus est, quòd ibi erat sinus quidã, quem rupes eminens flumini obiecta faciebat: in eo sinu & quassatas uorticibus naues, & si qui ijs inhærentes ferebantur seruauit. Post hũc refectis nauibus, classis præfectũ cœptã nauigationẽ in Mallorũ proximorũ fines persequi iubet. Qui postq̃ uentũ est interregressus excursione facta, quosdã eorũ qui nõdũ ad præscriptũ locũ cõuenerãt, continuit, quo minus cæteris Mallis adiungerentur. Quo facto ad naues reuersus, Hephæstionẽ, Craterũ, ac Philippũ cum copijs attributis ad classem profectos reperit. ibi elephantis & Polypercontis copijs & sagittarijs equitibus ac Philippo flumẽ transuectis, ijsq; Cratero duce dato, classis præfecto præcipit, uti triũ dierũ itinere terrestres copias anteueniat. Cæteris uero copijs in tris partes diuisis, Hephæstionẽ quinq; dierũ iter anteire imperat: eo uidelicet cõsilio, ut si qui se ulterius progredientẽ fugerẽt, ab illo cõprehensi, ex fuga retraherentur, Ptolemæũ aũt cũ parte copiarũ triduo permanere, ac deinde sequi, qui post se retro fugientes adoriatur: mandatis additis, ut cũ ad cõfluentes peruenerint, ibi tantisper maneant, donec ipse cũ copijs eôdẽ accedat. Idẽ Cratero mandatũ. Ipse cũ Argyraspidibus & sagittarijs, & Agrianis, ac eis quos Astheteros uocabãt, præterea Pithonis copijs, atq; omni sagittariorũ equitatu, ac parte equitum amicorũ, in Mallorũ fines in regionẽ inaquosam ducebat.

In Mallos expedino.

ἀσθετεῖρους forte legendum.

Ac

Ac primo quidem die iuxta exiguum amnem, qui ab Acesine non plus centum stadijs distabat, castris positis, exercitu aliquantum refecto, uasa quæ quisq; haberet, aqua impleri iubet. Quo facto iter persecutus, ne noctu quidem itinere intermisso, ad CCCC stadia emensus: postridie sub lucem ad oppidũ quoddam Mallorum, quò multi eius gentis confugerant, peruenit. quorum plures inermes, ac nihil tale suspicantes, ante urbem nactus (neq; enim crediderant propter aquarum penuriam Alexandrum eà iter facturũ) magna ex parte cæteris in urbẽ fugatis, interfecit. deinde oppidum (nondum enim peditatus accesserat) cum equitatu circumdedit. qui simul atq; profectus est, Perdiccam cum suis & Cliti copijs, & Agrianis, aliam Mallorum urbem obsessum mittit, in quam Indorum non paruam manum sese recepisse acceperat: mandatis traditis, ut prælium incipiat, antequam ipse cum cæteris copijs aduenerit. sed tantum det operã, ne oppidũ exire, ne'ue cæteros finitimos de profectione sua fama præuenire poßit. Post hæc cum urbem oppugnare cœpisset, continuo Barbari spe destituti muros deserunt, multisq; eorum primo impetu uulneratis & cæsis, relicta urbe protinus se in arcem condunt. Ea uero quoniam eminenti loco sita erat, adituq; difficili, aliquandiu sese tutati sunt. Demum imminentibus undiq; Macedonibus,

Mallorum fuga & cædes.

urgente

urgente ipsos rege, ac milites accedente: & ipsa quoque arx capta est, Barbaris omnibus qui inerant ad duo milia cæsis. Perdiccas ad eã urbẽ quam obsidere iussus fuerat profectus, ab incolis destitutam nactus, cum cognouisset ex indigenis oppidanos paulo antè effugisse, cum leuis armaturæ milite abeuntiũ uestigiꝰ persecutus, plerosq; eorum cæcidit: cæteros propinqua paludis seruauere. Alexander militibus corpora curare iussis, prima noctis uigilia inde mouens, erumpente luce ad Hydraotũ peruenit. Cumq; multis Mallorum iam transgressis, alios transire parantes nactus esset, repente adortus, plerosq; eorum interfecit: amneq; pertransito fugiẽtes assecutus, alios cæcidit, alios cepit. Pleriq; tamen in locum quendã natura atq; opere munitum, celeri fuga profecti, captiuitatem effugerunt. Profecto ad se peditatu, Pithonem aduersus eos cum copijs ac duabus equitum cohortibus confestim mittit: ijsq; oppidum primo impetu cepit, omnibus qui in eo comprehensi sunt in seruitutem redactis. Quo facto Pithon in castra continuo ad Alexandrum reuersus est. Alexander deinde ad Brachmanorum urbem exercitum ducit, quò & aliam Mallorum multitudinem confugisse acceperat. Quò ubi peruentum, nulla quiete militi data, ut territos oppidanos magis perturbaret, copias undiq; mœnibus admouet: murosq; suffodere aggres- In Brachmanos expeditio.

sis,telis coniectis Barbaros à mœniorũ tuitione submouet. qui & ipsi protinus deserta urbe, in arcẽ eua serunt. Dũ fugientes illos pauci quidã Macedonũ temerè insequũtur, repente conuersi, aliquot cæsis, cæteros repulerunt. Inter hæc Alexander scalas arcĩ admoueri imperat, murosq; suffodi: quibus suffossis, cũ turris quædã & pars muri contigua concidisset, factáq; esset ab ea parte arx expugnabilior, ipse primus omnium murũ inscendit. Quo uiso Macedones pudore succensi, alius alia certatim murũ superare contendebant. Tũ uero Indi deserto muro tecta cremare, seq; cũ omnibus fortunis suis incendio superinijcere, pleriq; etiã resistentes cedere: ad quina milia cæsi sunt. pauci uiui (tanta eorũ uirtus fuit) in Alexandri potestatẽ uenere. Post hæc Alexander uno modò die ad quietem militũ sumpto, in proximorũ Mallorũ fines exercitũ ducit. Quos ubi agnouit desertis oppidis in solitudines se abdidisse, sequenti die Pithonẽ ac Demetrium cũ copijs quas habebant, & parte leuis armaturæ reuerti imperat, ac iuxta fluminis ripã iter facere: ac si quos Indorũ in syluis circũiectis reperiant, interficiãt, præter eos qui sine ui deditionẽ faciant. Quorũ plerosq; nactus, interemit. Ipse aduersus urbem, quæ erat in Mallis cæterarum omnium maxima, in quam magnũ eius gentis numerum confugisse nunciabatur, mouet. Sed & hanc Indi,

Indorum uirtus.

di, aduentus eius certiores facti, destituerãt: Hydraoteq; amne pertransito, in ripis, quæ altæ ac præruptæ erant, instruxerant acies, ueluti transitu prohibituri. Quod ubi accepit, confestim cũ omnibus copijs eò aduolat, peditibus sequi iussis. Cumq; ex itinere cũ equitatu modò amnẽ ingressus esset, territi Barbari à ripa sensim recedere cœperunt. Cumq; eos nõ expectato peditatu, traiecto flumine insequeretur, multitudine confisi Barbari (erãt enim circiter quinquaginta milia) in eũ repente uertuntur. Quos ubi confertos animaduertit, congressu abstineri, ac procul obequitando peti iubet. Inter hæc Agriani, & cæteri leuiter armatorum ordines, ac sagittarij flumen transeunt: peditatusq; iam haud procul apparebat. Quo uiso defessi uiribus Barbari, arrepta fuga urbẽ quandam uicinã, cuius situ confidebãt, petũt. Quos Alexander cum equitatu & leui armatura persecutus, plerosq; eorũ cecidit. Profecto peditatu, castris positis, urbẽ circumsidet, reliqua diei parte quieti data, peditibus ex itinere, equitibus propter celerem et continuatã hostiũ fugam defatigatis. Postridie omni exercitu bifariã diuiso, à duabus partibus oppugnare urbem aggreditur. Quod cũ Indi ex muro intuerentur, non expectato impetu, deserto oppido in arcem confugiunt. Quos ubi Alexander nusquam apparere animaduertit, porta proxima repente perfracta, ingressi Macedones tota urbe potiti sunt:

Barbarorum fuga.

quã tamen Perdiccas curabat, aliquanto ſerius introitum. Capta urbe, è ueſtigio ad arcem oppugnandam itum: pro qua Barbarorum multi in acie ſtantes conſpiciebãtur, uim repellere parati. Quibus in arcem haud magno negocio repulſis, Macedones muros ſuffodere aggreßi, ui irrumpere conabantur. Cũ autem ſcalæ tardius ferrentur, continuo Alexander raptas ab uno militum, mœnibus applicat: ſcutoq; capiti ſuperiecto, primus in murum adnititur, ſequente Peuceſta cum ſcuto Palladi Troianæ ſacro, quod in prælijs præ ſe ferre conſueuerat. Peuceſtæ Leonnatus ſuccedebat: Abreas quoq;, unus ex decurionum ordine, ſcalis admotis, & ipſe ad muri faſtigium contendere. Iamq; rex ſupremam muri partem tenebat, atq; obfirmato ſcuto Barbarorũ, alijs depulſis, alijs interfectis, ab ea parte defenſore nudauerat. Tũ argyraſpides regis ſui periculo anxij, dum & ipſi ſcandere contendunt, fractis ſcalis præcipites in terram corruerunt. Alexander undiq; ex uicinis turribus petebatur, procul tamen: neq; enim Indorum quiſquam appropinquare audebat. Sed & ab ijs quoq; qui intra murum erant, iaculis ex propinquo inceſſabatur. namq; ab ea parte Barbari aggerem intrinſecus iuxta murum moliti, inde in eum tela iaciebant. Faciebat notum, longeq; conſpicuum, armorum præter cæteros inſignis habitus, & audacia ingens. Itaq; cũ

Alexandri uirtus.

animo uolueret, sese ibi diutius manendo periclitari, nec edere posse quicquam existimatione sua dignũ: at si intra arcem se conijceret, fortaßis hostes territurum, aut certe honeste & gloriose casurum, strennuo saltu in arcem desilit, muroq; innixus, hostium quosdam in se ruentes, ipsumq; ducem sese temere offerentem gladio interficit. quosdam etiam propius accedentes, lapidibus percussos reppulit. Quo uiso Barbari haud amplius comminus ausi manus conserere, in eum undiq; eminus quae aut habebant, aut sors offerebat, tela iactabant. Tres omnino ex toto exercitu, Peucestes, Abreas, & Leonnatus, audaciam eius secuti, pro rege pugnabant. Abreas os sagitta ictus cecidit. Ipse sagitta thorace discusso, graue in aduerso pectore uulnus accipit: cuius uulneris tanta uis fuit (Ptolemaeo teste) ut animam unà cum sanguine efflare uideretur. & tamen sese ab initio egregie tuebatur, sed mox cum multo cruore effuso defectis uiribus pronus in scutum collapsus esset, Peucestes Palladis scuto superiniecto, oppositu quoq; sui corporis ab irruentibus telis regẽ protegebat. Leonnatus quoq; lateri affusus, uenientes ictus excipiebat. Sed mox utrunq; uulnera ad resistendum inualidum fecere. Ac iam propè erat, ut Alexandro sanguis simul cum uita deficeret. Quo casu Macedones exanimati, quó nam modo sine scalis in murum euaderent,

Abreas occidit.

Alexander periclitatus.

derent, omni arte atq; ingenio quærebant: alij quidem clauis muro affixis (erat enim ex luto & latere muri structura) corpora subleuãtes, pendentesq;, alij aliorum humeris suspensi, ad muri fastigia nitebantur: & ut quisq; prior murum conscenderat, ita se præceps cum clamore & eiulatu circa regem salutis propriæ oblitus deijciebat: prætensisq; scutis simul & regem tuebantur, & dimicabant. Pluribus deinde superato muro arcem introgreßis, portulaq; (quæ inter duas turres sita erat) refractis uectibus patefacta, protinus irruptio in arcem facta est. Ab alia quoq; parte Macedonum impulsu collapsus murus, arcis ingressum aperuit. Barbari omnes ad internitionem cæsi, nec sexui, nec ætati parsum: tanta ira uictorum fuit. Ad curam deinde regis conuersi Macedones, semianimem scuto efferunt, inter spem metumq; dubij: resolutaq; plaga, alij Critodemum Coum ex Aesculapij stirpe sagittam euulsisse ferunt: alij Perdiccam, cum medicus non adesset, iubente Alexandro uel ense uulnus aperiri. dumq; euelleretur, multam uim cruoris effusam. Cumq; ob eam rem rursum defecisset, sanguinem substitisse, atq; ita syncopin sistendo sanguini remedio fuisse. Alia atq; alia de hac ipsa re tradunt: eaq; fama, quæ primum ab his recepta est, qui rem ipsam scribentes mentiti sunt, adhuc apud seculi nostri homines ualet: nec

Critodemus medicus.

desinet

desinet ad posteros transire, nisi eius fidem scripta eleuauerint. Hunc casum in Oxydracis obtigisse, constans omnium opinio est: qui quidem apud Mallos gentem Indorum liberam contigit. urbs enim gentis eius erat. Constituerant tamen Malli cũ Oxydracis se coniungere. uerum antequàm cõeundi facultas esset, Alexander eò peruenerat. Sed & ultimã illam memorabilem pugnam cum Dario, qua post fugam à Besso comprehensus est, ac necatus, apud Arbelos fuisse, pro uero receptum est: quemadmodum illam, quæ proximè ante hanc fuit, ad Isson contigisse: & primum equestre prælium, ad Granicum commissum, communis opinio est. namq; hoc ad Granicum quidem fuit, & apud Isson pugna cum Dario commissa est: Arbela uero ab eo loco, in quo ultimam pugnam Darius Alexanderq; pugnauerunt, opinione eorum qui plurimum, sexcentis stadijs: eorum uero qui minimum, quingentis distat: quam quidem pugnam ad Gaugamela uicum ignobilem, iuxta flumen Bumelum, Ptolemæus & Aristobulus commissam tradunt. At quoniam Arbela urbs erat per id tempus nõ incelebris, præliũ illud ingens maximeq; memorabile apud illã accidisse, ut mihi quidem uidetur, uulgatũ est. Si uero existimari oportet, præliũ hoc apud Arbela contigisse, cũ tantũ ab Arbelis abesset, eodẽ modo & nauale præliũ, quod apud

Darius ubi fusus & fugatus & uictus fuerit ab Alex.

Gaugamela.

Bumelus.

Arbela.

Salamina fuit, ad Isthmon Corinthium fuisse dicere liceb̄it: & eam quæ fuit in Artemisio Euboica insula, apud Aeginam aut Sunium fuisse. Sed de eorum numero qui Alexandrum in hac pugna ex uulnere propè exanimem scutis obiectis protexerunt, Peucestam unum fuisse, omnes confitentur. de Leonnato non omnes consentiunt, neq; de Abrea decurione. Sunt etiam qui scribant, Alexandrum galeam stipite percussum, caligine oculis oborta concidisse: ac mox recepto spiritu surgentem, thorace iaculo transfosso, in aduerso pectore uulnus accepisse. Ptolemæus in pectore modo uulneratum, non autem stipite percussum tradit. Ego uero errorem omnium longè maximum, eorum qui res Alexandri scripsere, hunc existimauerim. Sunt enim qui pro uero tradant, Ptolemæum Lagi unà cum Alexandro & Peucesta in arcem descendisse, ac iacentem obiecto scuto defendisse: ob eamq; rem Seruatorem à militibus appellatum esse: cum quidem ipse Ptolemæus se huic prælio non interfuisse, eoq; potissimum tempore aduersus alios eiusdem gentis Barbaros ab Alexandro missum, nobis autor sit. Hæc icirco scripsi, ut qui posthac historiam scribent, maiore diligentia rerum gestarum ueritatem inquirant, nec tam impudenter mentiantur. Interim dum Alexander uulnus curat, perlatus est in castra rumor, cum ex uulnere interijsse. Ac

Ptolemæus σωτὴρ.

Arriani diligentia, & ueritatis studiū.

primum

primum quidem eiulatus ac fremitus totis castris fuit, regis sui fortunam deplorantium: Tantum impe ratorem ac ducem, in tanto ætatis flore, tantisq; rebus gestis, in ipso rerum cardine, cum is totũ orbem terrarum imperio suo subiecturus uideretur, sibi immatura morte ereptũ. inuidisse deos fœlicitati eius, qui inuictum per tot gentes regem, atq; omnibus terris formidabilem, & Deo quàm mortali similiorem, è uita sustulissent. Deinde ad se conuersi, sortem suã deplorare ac lamentari, animi simul & consilij inopes: quis' nam tanti exercitus dux posthac futurus esset, inter se mœsti requirebant. Pleriq; rem Alexandri ac Macedonũ in æquo ponebant. Quo' nam enim se modo seruari posse, inter tot feras gentes, bellicosasq; circumiectas, nondum à se domitas, quæ pro tuenda libertate sibi existiment audacißime pugnandum esse: præsertim cum ij quos iam uicissent, sublato Alexandri metu, mox descituri uiderentur. Quo pacto tot altißima flumina se rursum traiecturos esse, deductos in ultimas terras, prædæ Barbaris futuros? Omnia deniq; Alexandro rege suo carentibus desperationem afferre. At ubi primum allatum est, Alexandrum uiuere, non est nuncio fides habita. Allatis deinde literis de uita eius, nec ijs quoq; præ metu à multis creditum. id enim confingi à regis custodibus, ducibusq; putabatur. Quod cũ esset Alexan-

Macedonum luctus.

De Alexandri morte uana persuasio.

dro renunciatum, ne qui in castris motus fierent, ut primum per ualetudinem potuit, ad Hydraotis ripas lectica delatus: indeq; secundo flumine ad castra, quæ erant circa confluentes, quibus Hephæstionem præfecerat, ubi & Nearchus classem habebat, cursum dirigi imperat. Mox ubi appropinquare castris cœpit, è nauis suæ puppi tentorium auferri, uti ab omnibus procul è ripis conspici posset, præcipit. Ac sic quoq; multi fuere, qui non Alexandrum, sed Alexandri corpus exanime esse crederent. tam pertinaciter animis insederat, regem uita functum esse. Cæterum postquàm naui ad ripam propius appulsa, ad eos manum tetendit, & cognitum est uiuere, exclamatum est præ gaudio ab uniuersis, alijs in cœlum ad deos, alijs in ipsum supplices manus tendentibus: multis etiam qui de uita eius penitus desperauerant, lachrymæ sua sponte ciderunt. E naui egresso cum argyraspides quidam lecticam, qua commodius ueheretur, afferrent, ipse equum adduci iussit: quem ut inscendit, denuo ab omni exercitu clamor in cœlum cum ingenti plausu atq; lætitia sublatus est, ripis ac syluis circum uicinis undiq; resonantibus. Cumq; iam tabernaculo appropinquaret, ex equo desilijt, ut pedibus incedens uideretur. quo meliorem suis de ualetudine recepta spem daret. Tum duces

Macedonum de restituto rege gratulatio.

duces ac milites certatim alius hinc, alius illinc propius accedere, manus, genua, uestimenta contingere: alij comminus uidisse contenti, salutem illi ac fœlicitatem precari: coronas alij, alij flores, quoscunque fert Indorum regio inspergere, donec in tabernaculum sese contulit. Cum autem ex amicis nonnulli, qui factum eius reprehenderent, quòd se tanto discrimini temere obtulisset (neq; enim id ducis, sed militis officium esse) eiusmodi uoces, ut scribit Nearchus grauis autor, grauiter ferebat. Quantum quidem existimo, grauabatur his sermonibus, quòd intelligebat illos uera dicere, ac se merito reprehendi posse. cæterum ille siue ardor, siue animi furor, qui mentes hominum in prælijs stimulare ac rapere consueuit: tum gloriæ immoderata cupiditas, ingentis spiritus regem ad capessenda pericula impellebant. Narrat idem Nearchus, seniorem quendam Bœotum (nomen obscurum est) postquàm accepit Alexandrum iniquo animo repræhensiones amicorum accipere, & conturbari eiuscemodi sermonibus, ad eum profectum, sua lingua dixisse: O Alexander, uirorum est magna facinora aggredi. simul subdidisse uersiculum iambicum, cuius hæc erat sententia: Qui præclarè quicquam faciat, æquum esse & pati. His uerbis Alexandrum placatum, ac ei senem illum postea chariorē factum.

Virorum esse magna facinora aggredi.

Inter

Inter hæc legati à Mallis, qui adhuc integri restabãt, ad Alexandrum uenere, qui deditionem facerent: & item ab Oxydracis urbium præfecti, principesq́; & cum his CL ex primoribus eiusdem gentis, cum amplißimis muneribus, qui & ipsi sese ac gentem suam in fidem eius darent. Errori autem suo ignosci petebant. peccasse enim fatebantur: sed tamen peccatum uenia haud indignum esse, quod non multo antè legationem de deditione ad eũ misissent. libertatem quidem à se, quemadmodum à cæteris Indis, uel etiam magis expeti: quam quidem libertatem ab aduentu Dionysij in Indos, per tot secula inuiolatã conseruassent. Quod si ita Alexandro placeret, quoniam & ipsum ex deorum genere ortum fama esset, paratos se esse & præsidem quem daret accipere, & datis obsidibus quæ imperaret tributa pendere. Quibus benigne acceptis, auditisq́; libertate concessa, id modo petijt, uti mille uiros gentis suæ ex primoribus ad se mitterẽt, quos uel pro obsidibus haberet, si uellet: uel pro militibus, quoad cæteris Indis potitus esset. Iiq́; domum reuersi, fortißimis quibusq; ac primis popularium delectis, mille uiros, quingentos præterea currus cũ propugnatoribus, quo illius in se gratiam augerent, ad eum extemplo mittunt. Ipse remissis obsidibus, currus modo retinuit: Philippo & iisdem, ac cæteris Mallis ad quos peruenerant, dato.

Malliorum & Oxydracarũ legati.

His

His ita gestis, nauibusq; compluribus dum uulnus curat ædificatis, ex amicorum equitatu ad mille septingentos, ac leuis armaturæ non multo pauciores, de peditatu uero circiter decem milia nauibus imponit. Non multum spacium emensus, eò peruenit, ubi Hydraotes & Acesines coëunt. ibi Acesines recepto Hydraote, illius nomen extinguit. Acesinem itaq; ingressus cursum tenuit, donec ad Indũ peruenit. nanq; hæc quatuor flumina, magna atq; nauigabilia, Indum illabuntur. Sed non omnia nomen suum retinent. nam ubi Hydaspes se in Acesinem ingerit, amisso nomine Acesinas uocatur. rursus Acesines ubi in se Hydraotem excipit, pristinum nomen retinet. Idem Acesines recepto Hyphasi, eodem nomine in Indum fertur: atq; ubi se immiscuit, honore appellationis Indo cedit. In ea parte priusquam in Deltam literam diuidatur, facile crediderim Indũ centũ stadia uel eo amplius, ubi stagnat, in latitudinem patere. Ad hunc Acesinis atq; Indi concursum mansit Alexander, donec Perdiccas cum copijs aduenit, Abasthenis gente libera suiq; iuris ex ipso itinere subactis. Inter hæc aliæ naues ad eum profectæ sunt, quas in Xathris (quæ & ipsa Indorum gens libera se dediderat) comparari iusserat. Præterea & ab Ossadijs legati deditionem fecerunt. Acesinis atq; Indi concursum, Philippi prouinciæ terminum statuit, traditis ei equitibus

Hydaspem etiam Acesinẽ dici.

Delta.
Indi latitudo.

Xathri.

Ossadii.

bus Thracibus, ac cæterorum ordinum quotcunq; regionis illius custodiæ satis esse duxit. Ad hæc apud ipsorum amnium confinia urbem ædificare iussit, arbitratus opportunitate situs inter Indos opulentã & claram fore, naualiaq; ibi extrui. Per eosdem dies Oxyartes. *ad eum uenit* Oxyartes *Bactrianus,* Roxanes *uxoris pater: quem humaniter (ut decuit) susceptum, inter charißimos habuit. Post hæc cum ei nunciatum esset,* Tiryestem *superbè auareq;* Paropamisadis *imperare,* Tiryeste *inde amoto, eam gentem* Oxyartis Tiryestes. *imperio addidit. Deinde pleraq; exercitus parte atq; elephantis cum* Cratero *in sinistram partem amnis traiecta, quoniam ab ea parte exercitui graui uia commodior futura uidebatur, quodq; gentes finitimæ non usquequaq; amicæ erant: ipse ad* Sogdiorum *regiam secundo amne nauigauit, ibiq; altera urbe condita, nauibusq; constructis, quassatas naues eòdem inferri ac reparari iussit. Deinde quantum terræ inter* Acesinis *&* Indi *concursum* Oceanumq; *cum ora maritima interiacet,* Oxyarti *ac* Pithoni *subdidit.* Cratero *deinde per fines* Arachotorum *&* Drangorum *iterum misso, ipse secundo amne* Musicanus. *delatus, in* Musicani *regionem deuenit, quæ opulentißima omnium* Indorum *esse ferebatur: commotus, quod* Musicanus *neq; dum sibi obuiam processisset, neq; legatos de deditione aut amicitia, nec munera*

(ut par

(ut par erat) ad se misisset, neq; aliquid à se petere dignatus est. tantaq; celeritate nauigauit, ut prius in Musicani finibus conspicatus sit, quàm eum mouisse Musicanus acceperit. Cuius repentino aduentu consternatus, quamprimum cum amplissimis pulcherrimisq; muneribus, omnibusq; quos habebat elephantis occurrit, seq; in eius fidem dedit: confessus se peccasse, quòd non prius aut ad eum profectus esset, aut legatos de deditione misisset. Quæ erroris confeßio apud Alexandrum plurimum ualebat: nec quicquam ad impetrandam ueniam hoc uno apud eum erat efficacius. Alexander uenia data, regionem urbemq; admiratus, ut in suis finibus pristinum ius atq; imperium retineret, permisit. At ne se procul cum exercitu digresso quippiam noui moliri posset, arce in oppido exædificata, Craterum cum ualido præsidio ibidem reliquit. Is enim locus sibi maxime idoneus uisus est, ad finitimas gentes in fide atque officio continendas. Exinde digressus cum his copijs, quas classe uehebat, finitimæ prouinciæ regulum (cui nomen Oxycano erat) quòd neque ipse obuiam uenisset, neque legatos de deditione misisset, inuadit. duas'que eius urbes omnium maximas, admotis copijs, ui cepit, ipso quidem Oxycano comprehenso, prædaq; militi permissa, elephantos secum duxit. Oxycanus

Quo

Quo casu conterritæ cæteræ ciuitates circumiectæ, continuo sine ui in deditionem uenerunt. Nec Indorum quisquam eius regionis iam amplius aut arma sumere, aut se tutari audebat: adeò omnes, fortuna iam Alexandri fœlicitati omnia concedente, animis debilitati fractiq; erant. Post hæc aduersus Sambum copias ducit, quem prius montanis Indis satrapem dederat. Is domo profugisse nunciabatur, quod audisset Musicanum ab eo dimissum, & in urbes atq; agros suos restitutum. nam cum Musicano graues inimicitias gerebat. Postquàm urbi eius quam Sindomana appellabant, quæ erat imperij caput, appropinquare cœpit, Sambi domestici cum pecunia & elephantis obuiam egressi, fugisse Sambū non odio sui, sed Musicani metu, quem oderat, causati sunt. Quibus in fidem receptis, aliam quandam urbem Indorum, quæ ab eo desciuerat, expugnauit: Brachmanis qui sunt Indorum sophistæ, quotcunq; in eius potestatem uenere, quòd ij causa rebellionis fuisse diceren tur, interfectis. de quorum sapientia, si qua est, Indicarum rerum descriptione seorsum tractabimus. In hoc rerū statu renunciatur Alexandro, Musicanū defecisse. quapropter Pithone satrape in eius fines confestim cū parte copiarū immisso, ipse è diuerso eius oppida aggressus, alia diruit, in alia ibidem arcibus ædificatis præsidia induxit. His gestis, in castra

Sambus. Sindomana. Brachmani.

ad

ad classem reuersus est: quò Musicanus ad se à Pithothone uinctus perductus est. Quem intra fines suos ob perfidiam laqueo strangulari iussit, & cum illo Brachmanas, rebellionis autores. Eodem tempore ad eum uenit Pattalorum regulus, quam regionem Indus amnis in Deltæ literæ faciem, Aegypto ampliorem, suo cursu redigit: isq; & urbes & agros in fidē eius dedit. quem benignè susceptum, & in fines suos remissum, necessaria exercitui parare iussit. Craterum cū Attali, Meleagri, & Antigenis copijs, cumq; sagittariorum & equitatus amicorum parte, & cū his Macedonibus, quicunq; ætate imbecilliores facti erant (quos quidem iam antè animo destinauerat in Macedoniam remittere) in Carmaniam per Arachotos & Zarangos proficisci imperat. eiq; elephantos agendos dedit: Hephæstione cæteris omnibus copijs, præter eas quas ipse secum classe in maritimam orā ducebat, præposito. simul Pithoni imperat, uti cum iaculatorum equitatu, & Agrianis in eam fluminis partem, contra quam Hephæstion ducebat, traijciat: atq; urbes à se conditas, quæ iam erant mœnibus cinctæ, inhabitari curet: Indosq; finitimos, si quid nouatum ab ijs esset, castiget, coherceatq;: postremo Pattalam, quò profecturus esset, conueniat. Cumq; iam triduo secundo flumine nauigasset, nunciatum est ei, Pattalorum regulum magno Pattalensium numero

Musicani mors.

Pattalorum regio.

coacto, urbe destituta, in uastas solitudines profugisse. quo nuncio accepto, properantius classem agit. Cumq; & urbem, & agros desertos reperisset, mox in terram egressus, expeditissimos quosq; è toto exercitu, qui fugientes persequantur, mittit: retractos quosdam è fuga, continuo remittit, qui hortentur cæteros ne recedant: licere illis, ut prius, & urbe & agris perfrui. Multiq; eorum adempto metu reuersi sunt. Deinde Hephæstionē in ea urbe arcem ædificare præcipit, missis in proximā regionem (quæ aquarū inopia laborare ferebatur) qui puteos defoderent. quos Barbari improuisò adorti, cū nonnullos peremissent, mox in fugam coniecti, multis suorum desideratis, in syluas se abdiderūt. Quapropter qui missi fuerant, cū imperatū opus facere nō possent, propter frequentes & improuisos Barbarorū impetus, qui opus facientes disturbabant: eam rem ad Alexandrū perferūt. quo cognito, Alexander alios confestim sub mittit, quibus adiunctis Barbari repelli possint. Circa

Indus flu. Pattalam Indus amnis in duo ingentia flumina diuiditur: quæ utraq; quoad in Oceanum exeunt, Indi nomen perpetuo retinent. Hoc loco Alexander & portū & naualia extrui iussit. Cumq; omnia ad eius uoluntatem succederent, constituit ad fluminis exitum cū classe ab dextera ferri, atq; Oceanū petere. Itaq; Leonnato cum mille equitibus, peditibus uero circiter

ter

ter octo milibus, per Pattalã insulã misso, ut pariter cũ classe progrederetur: ipse delectis nauibus, quæ ue lociores erant, per dexteriorẽ amnẽ uehi cœpit. Cæterũ cũ non haberet ducẽ classis, fluminis peritum, (namq; Indi accolæ effugerant) difficilior erat nauigatio: insequenti die uento ab Oceano exorto, intumescere amnis, ac ciere fluctus cœpit: nauesq; ueluti in salo agitatæ, inuicẽ collidi. Quapropter pleræq; earũ quassatæ, aliquæ etiã solutæ sunt: quæ tamẽ antequàm subsiderent, ad ripã saluis uectoribus appulsæ sunt. Alijs igitur nauibus quamprimũ fabricatis, uelocißimos quosq; ex leuiter armatis procul à flumine in terrã mittit: iiq; Indos quosdã cœperunt, fluminis peritos, qbus postea nauigationis ducibus usus est. Postq̃ uero eò peruentũ, ubi amnis ad CC stadia diffunditur: cum uentus à mari uiolentior incubuisset, et iam claßis remis agi posset, continuo in fossam quam duces ostenderũt, naues reduxit. Vbi diutius morantes in alium metum inciderunt. namq; reciprocante Oceani æstu, recedente unda, naues in sicco destitutæ sunt. cuius rei cum Græci ignari essent, attonitis similes constiterunt. Sed multo magis, quòd mox rursus se ingerenti æstu naues subleuari cœperunt: & quæ in luto hæserant, absq; detrimento attolli: quæ uero in solidiorem terram inciderant, nec carinis hærere potuerant, earum aliæ ab impetu æstus raptæ, inuicem collisæ, aliæ solo impactæ sunt. Oceani reciprocatio.

Quibus ex præsenti rerum copia subito refectis, cũ duabus nauibus præmittit ad Oceanum, qui insulam explorent, in quam insulam duces aiebãt sibi descendendum esse, ad Oceanum nauiganti: eam insulam Cillutam uocabant. Qui ubi renunciauerunt, stationes esse in ea insula, classi opportunas, eandemq; magnam, nec aquarum inopem esse: confestim reliquam classem eòdem agi præcipit. Ipse cum lectioribus nauibus ulterius progreditur, ut amnis hostium inuisat: simul ut exploret, an inde in Oceanum nauigatio tuta futura sit. Progressusq; in C C stadia, aliam insulam prospicit. qua uisa, mox ad insulam, quam antè dixi, reuersus est: atq; in extremo eius, ubi statio quædam inerat, collecta classe, dijs rite sacrificauit: quibus uti sacrificaret, ab Ammone se monitum aiebat. Postridie eius diei ad insulam in Oceano sitam nauigat: ibiq; alijs hostijs, alijs dijs, atq; alio ritu rẽ diuinam fecit: & id quoq; sibi ab Ammone mandatum prædicabat. Post hæc nauigare aliquantũ extra insulam cœpit, uti exploraret (quemadmodũ aiebat ipse) an terræ ullæ ultra insulam extarent. Ego autẽ hanc nõ leuem nauigationis suæ causam fuisse existimauerim, ut scilicet extra Indorum terras, in ipsum Oceanum penetrasse diceretur. tum classem sistens, immolatis Neptunno tauris phialáq; & cratere aureo, postquàm libauit, in mare proijcit, gratijs Neptunno

Cilluta insula

Alexandri in Oceanum nauigatio.

Alex. Neptũno sacrificat.

no actis: precatus incolumem classem ut reduceret, quam cum Nearcho mittere in Persicum sinum, ut Tigris & Euphratis hostia agnosceret, cogitabat. Post hæc aduerso flumine Pattalã reuersus, & arcẽ perfectam reperit, & Pithonem cum copijs rediisse, ijsq́; quorum gratia missus fuerat, perfectis. Igitur Hephæstioni ædificandorum naualium negocio dato (nanq; ibi cogitabat, ubi Indus in duas partes diuiditur, classis partem relinquere) ipse ab altera fluminis parte cum reliqua classe petere Oceanum instituit, exploraturus num ipsius fluminis hostio exitus in Oceanum facilior atq; expeditior foret. Distant aũt ab inuicem utraq; hostia stadijs M DCCC. *tantum terrarum Pattala ab ora maritima occupat. Iamq́; haud procul à confinio fluminis aberat, cum peruenit ad lacum quendam, quem & fluminis inundatio & ex adiacentibus campis undiq; confluentes aquæ efficiunt. Est autem is lacus amplissimus, & marino sinu similis. nam & pisces marini in eo conspiciuntur, maiores ijs qui in nostro mari nascuntur. Nauibus igitur eò appulsis ad eam terræ partem, quam duces ostenderant, ac plerisq; militibus ibidem cũ Leonnato præsidio relictis cum parte nauium, ipse cũ reliqua classe superato fluminis hostio, & ea quoq; in Oceanum procedit, faciliorem nactus inde in mare exitum. Deinde in littus cũ equitatu quem uexerat*

S 3 *egressus*

egressus, triduo iuxta orã maris iter facit, contemplato locorum situ, si qui essent sinus aut stationes, quò naues agi et à tempestate seruari possent. Ad hæc puteos pluribus locis effodi imperat, unde aquarũ copia classi suppeteret. Post hæc ad naues regressus, Pattalã aduerso flumine repetit, exercitus parte in maritimã orã missa, qui opus facientes adiuuarẽt: ac denuo repetito lacu, alias stationes, aliaq; asseruãdis nauibus apta ædificia extruit: præsidioq; ibidẽ relicto, frumentũ exercitui in quattuor menses portari iussit. Nec minora cura cætera ad nauigandũ necessaria parabat. Erat enim anni tempus ad nauigationẽ inhabile. nã maxime † consueti ab Oceano et à meridie uenti perflant. Siquidem ab initio hyemis, hoc est ab occasu pleiadũ ad hybernũ solstitium, nauigabilẽ in his locis Oceanũ ferũt. nanq; ea tempestate auræ molles consurgũt, propterea quòd terra ipsa frequentibus pluuijs madefacta, uentos exhalat. Hanc tempestatẽ Nearchus classis præfectus de industria expectabat. Interim Alexãder ex Pattala digressus, ad Arabiũ flumẽ cũ exercitu processit. Atq; inde assũpta argyraspidũ ac sagittariorũ parte, item quas uocant Astheteron cohortes & equitatus amicorũ, et ex singulis præfecturis equitũ cohorte una, & equitibus sagittarijs, uersus Oceanũ ad læuã cõuertitur: simul ut puteos in usum uenturi exercitus pluribus locis per-

Pattala repetita.

ἐτησίαι ἄνεμοι

Arabius flu.

perfodiat, simul ut montanos Indos gẽtes antiquitus liberas inuadat, quoniã nihil amicũ erga se aut erga exercitũ egissent. Reliquas copias Hephæstioni ducendas tradit. *Cæterũ Arabitæ, gens & ipsa libera inter eas quæ circa ipsum flumen incolunt, cũ neq; sibi ad resistendũ satis uiriũ habere uiderentur, neq;* Alexandri *imperio parêre statuissent, cõfestim cognito eius aduentu, sese in solitudines receperũt.* Qua re cognita Alexãder *amnẽ (erat enim angustus, modicæq; altitudinis) celeriter transijt. Cumq; continuato itinere, ea nocte quæ secuta est magnã partem solitudinis peragrasset, erũpente luce in loca culta peruenit, peditibusq; sequi iussis, cæterum equitibus (quo latius panderetur agmen) in alas diuisis, montanorũ fines inuadit.* Ex *quibus multi cæsi, pleriq; etiam capti sunt. Post hæc modico fluuio reperto, iuxta eum castra fecit.* Deinde *ubi* Hephæstion *cum reliquis copijs accessit, ulterius progredi cœpit. Profectusq; in pagum quendã, qui erat eius gentis maximus (Rambacia illi nomen erat) cum situs sibi placuisset, ut pote magnæ & opulentæ urbis olim futuræ sedes,* Hephæstioni *negocio dato, ipse assumpta iterum parte copiarum, in loca* Gedrosis *atq;* Oritis *uicina profectus est, qua parte angustum transitum esse nunciabatur. ad eas angustias* Oritæ *simul &* Gedrosi *castra fecisse dicebantur, ueluti transitu prohibituri.* Rambacia pagus. γαδρωσοί. ὠρεῖται.

Et erant ij quidem acie instructa, uerum ubi Macedones iam apparere cœperunt, maior pars montium faucibus desertis præ metu discesserunt. At duces Oritarum exterriti, mox ad eũ profecti, & se & gentem suam in eius potestatem dederunt. Quibus in fidem receptis, uti gentem suam, quæ in armis erat, domos remittãt, imperat: nihil eos incommodi, si id faciant, accepturos, ijsq; Apollophanem præponit: & cum illo Leonnatum, unum ex custodibus corporis, cum Agrianis, & sagittariorum atq; equitum peditumq; & Græcorum mercenariorum parte manere iubet, donec classis regionem illam transuecta sit: qui & urbem inhabitandam curet, & res Oritarum ita constituat, ut satrapæ dicto audientes sint. Ipse cum reliquo exercitu (nanq; Hephæstion cum cæteris copijs aduenerat) aduersus Gedrosos pergebat, per solitudinem iter faciens. In hac regione Aristobulus tradit, myrrhæ arbores nasci proceriores quàm alibi usquam terrarum: Phœnices negociatores, qui sequebantur exercitum (tanta eius ubertas erat) multa iumenta ea materia onerasse: magnam præterea nardi copiam in ea sylua esse, idem Aristobulus refert, atq; in ea quoq; ipsos Phœnices magnã uim legisse: multum etiam equorum ungulis longo tractu conculcatum, suauissimo odore aërem replesse. Alia item genera arborum, in quibus speciem quandam folijs lauro

Myrrhæ arbores.

Nardi copia.

lauro persimilem: eas in locis, quæ accedente æstu à mari inundantur, nasci: easdē æstu recedente in sicco destitui. quæ uero in humilioribus locis & concauis gignantur, eas à mari obrui: nec corrumpi tamen salsedine. Harū aliquas XXX cubitos in altitudinē tendere. eoq; tempore contigisse, ut earum aliqua florerent, quarū flos maxime similis uiolæ albæ esset, odōr uero amabilißimus. Oriri item ibidem caulem quendam, spinis insitis: inter quas una tantæ soliditatis ac magnitudinis, ut circumequitantium quorundam comprehensa ueste, nō prius abrumpi auellíue potuerit, quàm illos equo detraxerit. Ad hæc lepores, si pilis eæ spinæ implicentur, non secus atq; aues uisco, aut hamo pisces capi: ferro tamen haud difficulter incidi. qua spina intercisa, caulem magnā uim succi euomere: maiorem etiam quàm ficus, si cædantur uerno tempore, ac magis austerum. Exinde Alexander per Gedrosorum fines profectus est, iter difficile atq; incommodum, cum propter cæterarum rerum, tum maxime aquarū penuriam. ex quo exercitum sæpe siti laborare contingebat, ac necesse erat plurimum itineris nocturno tempore ob eam rem facere. Ducebat autem secus mare, quo lacus mari propinquos inuiseret: simul ut in classem necessaria, alibi puteos, alibi rerum uenalium fora, alibi alia pararet. Cæterum ea Gedrosorum ora penitus deserta & inculta

Spinosæ caules.

inculta erat. Simul Thoanta Mandrodori propius mare cum modico equitatu speculatum misit, an aliqua pro nauibus statio, aut aquarum copia, aut aliud quicquam claßi necessariũ in his locis reperiretur. Thoas.

Qui reuersus renunciauit, inuentos à se piscatores quosdam modicis tugurijs habitantes, conchas marinas congestas ijs pro muro esse, tecta ex grandium piscium spinis contexta: aquæ parum habere, nec ullam omnino habere dulcem. Cumq; Alexander continuato itinere in locum quendam Gedrosorum cultiorem peruenisset, ubi erat aliquanto maior frumenti copia, quicquid reperit iumentis impositũ, signoq; eius obsignatum, ad littus deportari iußit. quo frumento nihilominus interim dum alium locum petit mari proximum, milites neglecto imperio, cum necessaria deessent, usi sunt. Efficiebat fames, ut præsenti morti incertum à rege periculũ, post habere licere arbitrarentur. Quibus Alexander facile (ut par fuit) ueniã dedit. Deinde ea regione peragrata, quicquid commeatuum nactus est, Cratheum Callatianũ in maritimã oram deferre imperat: indigenis item iußis, quantũ frumenti possent, ex superioribus locis deportare, ac molere, & cum palmarũ fructibus pecudes ad mercatum mari uicinum agere. Telephum quoq; unum ex amicis, cũ aliquanta ui frumenti triti aliò misit. Ipse ad regiam Gedrosorũ urbẽ, quam Puram

Gedrosorum deserta.

Cratheus Callatianus.

Telephus.

ram appellabant, progressus est: ad quam quidẽ LX *die ex quo ex Oritis discessit, peruenit. Tradunt plu-* Pura.
res ex Alexandri rerum scriptoribus, labores omnis quos eius exercitus per Asiã peragrando perpessus sit, ijs quos in hac regione pertulit haud quaquã cõparandos esse: nec ignarũ tamẽ earũ difficultatũ, cũ omnia prius ab indigenis edoctus esset, hoc iter ingressum, ac persecutũ. Hoc aũt quod sequitur, unus Nearchus *scribit: cũ audisset Alexander nullum adhuc ducẽ, qui in eas regiones cũ exercitu profectus esset, incolumes copias reduxisse: Semiramim cum maximis* Semiramis.
copijs eò profectũ, uix cũ uiginti suorũ effugisse: Cyrũ Cãbysæ filiũ, qui & ipse in Indorũ fines penetrasset, cũ septẽ modo ex tanto exercitu euasisse, rerũ o- Cyrus Cambysæ.
mniũ inopia uexatũ: utriusq; æmulatione Alexãdrũ magis magisq; incensũ, ut loca illa adiret, ne ijs gloria cedere, neue qd suæ & militũ suorũ uirtuti inaccessum uideretur. Erat aũt ea regio solis ardoribus exusta, multumq; aquæ indiga. Quapropter multi de exercitu, iumenta præsertim, periere. Incidebant interdum in tumulos, ueluti colles quosdam, arenæ torridæ fugientis uestigium, atq; introrsus cedentis, in luti aut niuis modum: simul equi iumentaq; Loca arenis tempestas.
propter iniquitatem uiæ defatigabantur. diuturnior quoq; in ijsdem locis mora (defectus enim aquæ cogebat pro necessitate itinera facere: et aliàs procedere, aliàs morari) non mediocriter exercitũ angebat.

Si noctu proficiscentes mane aquam nacti essent, aliquanto minus grauabantur. sin uero totam diem sine aqua agerent, nihil erat ijs miserius. Multa iumenta inopia rerum necessariarum à militibus cæsa, ex quibus fames aliquantũ sustentata: quæ uel siti, uel æstu defecisse milites ipsi mentiebantur, nullo redarguente teste, cum penè omnes in eadem culpa essent. Nec ea tamen Alexandrum latebant. Sed cogitabat, in eo rerum statu dißimulare satius esse, quàm conuictos maleficij impunè præterire. In tantis uero difficultatibus, qui uel morbo uel laßitudine languebant, ulterius duci non poterant, tum iumentorum tum curruum inopia: quos ipsimet milites, cum per arenam agere non possent, sua sponte soluebant. Multi etiam currus suos diffregerant, priusquàm hoc iter inuaderent: ne cogerentur, omißis breuioribus itineribus, per ea quæ curribus agendis aptiora uidebãtur, cæterũ longiora, proficisci. Qui uero inualidos ducerent, aut expectarent, curarent'ue, nulli erant: tanta celeritate agmen agebatur. nam præ communis salutis studio, de singulorũ salute nihil pensi habebant. Si quos autem nocturno itinere fatigatos interdiu somnus oppresserat, postquàm excitati erant, si uires suppeterent, per uestigia agmen sequebantur. quorum pleriq; cum in arenæ uastitatem, non apparentibus usquam uestigijs, tanquam in immensum pelagus

pelagus incidissent, post longos errores perierunt. Accessit alia ærumna, propè æquè grauis. namq; Etesijs flantibus, Gedrosorum regio imbribus obnoxia est: quemadmodum & Indorum cætera regio, non hæc quidem plana, sed montana plurimum: in ea nubes non excedunt montium cacumina. Cum autem castra secus torrentem quendam posita essent, circiter secundam noctis uigiliam improuisis imbribus auctus torrens, tanto sese impetu per agros effudit, ut pueros plerosq; ac fœminas (quæ ægrè agmen sequebantur) cum regia supellectile, ac sarcinis, iumentisq; (quæ supererant) correptos abstraxerit: ijs quoq; qui in castris erant, magna armorum parte amissa, difficulter seruatis. Pleriq; etiam dum proficiscerentur, aquarum copiam nacti, calore ac siti stimulante, simul inopiæ futuræ metu immodico potu distenti, animam efflauerunt. Quapropter Alexander castra ab aquis remotiora uiginti interdum stadia faciebat: ne qui primi fontem adijssent, uiris iumentisq; promiscuè potum festinantibus, aquas cæteris sequentibus turbarent. Quam quidem Alexandri prouidentiã minime prætereundam duxi, quod dignam laude existimaui. Sunt qui scribant hoc apud Paropamisadas factum, cum exercitus iam per arenas perpetuis caloribus exustas ageretur. aquam enim inueniri, pro reficiendo exercitu diuturno itinere

Torrentis impetu uexatus exercitus.

Alexandri tolerantia, eandemque etiã milites docentis solertia.

nere confecto, necesse erat. & *Alexander quanquam siti fatigatus, pedes tamen* & *ipse ducebat agmen, quo milites ac duces exemplo suo labores atq; ærumnas leuius ferrent. Cumq; ex leuiter armatis, qui paulum ab agmine diuerterant, si forte aquam uspiã repertrent, exiguum quendam* & *impurum fontem inuenissent: haustam inde aquam galeæ ingestã, ueluti singulare donum regi deferunt. quam susceptã, ne contempsisse munus uideretur, laudatis qui detulerant, ne suæ tantum salutis à se ratio habita uideretur, in conspectu omnium in terram effudit.* Ad hæc *tot mala accedebat, quòd itineris duces deletis à uento in arena uestigijs, uiæ se oblitos aiebant. neq; enim ullæ usquam aut arbores aut colles extabant, ex quibus uia coniecturari posset: nec uero indigenæ aut solis interdiu, aut astrorum noctu cursum motum' ue obseruãt, quemadmodũ nautæ geminas arctos:* Phœnices *quidem minorem, cæteri mortales maiorem.* In *hoc discrimine* Alexander *quantũ coniectura consequi potuit, oportere declinando ad sinistrã flectere arbitratus, paucis quibusdam equitibus delectis iter inuadit.* Q*uorũ plerisq;, cum equi præ æstu defecissent, relictis, cum quinq; modo ex omnibus iter persecutus, ad mare peruenit. Cumq; galea proiecta fontem dulcem purumq; reperisset, eò confestim exercitum traducit.* Exinde *continuato itinere septẽ diebus secu*

bus secus mare profectus est, littore haud altè defosso, aquarũ copia suppetente. Postquàm uero itineris duces uiam se noscitare dixerunt, ducere in mediterranea cœpit. Atq; ubi ad regiam Gedrosorũ peruenit, militibus defeßis quiete data, Apollophanem (quem prouinciæ præfecerat) quoniam haud rectè curasset quæ mãdauerat, eo honore priuauit, Thoante in eius locũ suffecto. qui cũ ex morbo deceßißet, Sisyrtius ei successor datus: qui & ipse Carmaniæ nuper ab Alexandro satrapes factus fuerat. Cæterũ Carmania † Neoptolemo Pythophani ab Alexandro tradita, ipse in Arachotos & Gedrosos imperiũ accepit. Iãq; Carmaniã uersus progredi rex cœperat, cũ sibi nunciatũ est, Philippũ (quem Indis præfecerat) mercenariorum fraude interemptum: percussores per Macedonas corporis sui custodes partim in ipsa cæde, partim post perpetratũ facinus cõprehensos esse. Quæ postquàm cognouit, ad Eudemũ & Taxilẽ in Mediam statim literas misit, quibus iubebat, uti regionis eius quæ sub Philippo fuerat, curã susciperent, donec alius in demortui locũ à se mitteretur. Carmaniã ingresso, Craterus aduenit cum reliquis copijs, et Ordone (qui rebus nouis studens rebellauerat) comprehenso. Eodẽ etiã Stasanor, & Ariorũ & † Sangorũ satrapes, & cũ his † Pharasimenes, Phratapherne Parthorũ & Hyrcanorũ satrapæ filius. duces quoq; copiarũ, quos cũ Parmenione in Media reliquerat: Clean-

Sisyrtius.

τληπόλεμος ὁ πυθοφάνης. est in Græco.

Eudemus. Taxiles.

ζαράγω. φαρισμάνης.

De Cleandro et Sitalce supplicium.

Cleander, Sitalces, & Heracon, cum magno & ipsi militum numero. Ex quibus Cleandrum ac Sitalcem (accusatos nō ab ijs modo qbus præfuerāt, uerū etiā à militibus, quòd multa improbè & auarè perpetrassent, quòd templa spoliassent, quòd uetera ornamenta detraxissent, quòd in subditos multa iniustè commisissent) necari iussit: quo cæteris exemplo essent, quos in his locis cū imperio relinqueret. Itaq; factum uel maximè in officio omnes gentes nationesq; continuit, quæ uel sua sponte, uel coactæ in Alexandri ditionem uenerant: quanuis & multæ essent, & tanto interuallo abinuicem distarent. Heracon tunc quidem iudicium effugit: cæterum paulopòst à Susijs conuictus, quòd eorum templum diripuisset, damnatus pœnas dedit. Stasanor. & Phratapbernes magnam uim iumentorum & camelorū ad Alexandrum ducebant, cum eum per Gadrosorū fines iter facere accepissent: coniectura suspicati, magna illum iumentorum incommoda passurum. quos peropportunè ad se adductos, res in duces ac milites singulos diuisit. Sunt qui affirment (quibus ego non assentior) Alexandrum duobus curribus iunctis, amicisq; impositis, inter dulcißimos cantus iacentē, per Carmaniam uecto exercitu, & iocos profusos penè sequente, profectum: quæ ad uoluptatem pertinent, à Carmanis in uia dispositis. idq; ab Alexandro ad

Heraconis mors.

Per Carmaniam profectio.

ad Dionysij imitationem factum: quem fama erat, superatis Indis reuertentem, magnam Asiæ partem peragrasse, Dionysiumq; ipsum appellatum triumphum, indeq; solennes pompas, quæ pro partis uictorijs agũtur, triũphi nomen sortitas. Cæterũ neq; Ptolemæus, neq; Aristobulus, neq; alius quisquã grauis autor ista scripsere. Illud uero traditum ab Aristobulo est, Alexandrum ob uictoriam de Indis partam, et reductum ex Gedrosis exercitum, musico & gymnico certamine proposito, dijs gratias agentem sacrificasse: ac Peucestam inter corporis sui custodes retulisse, quem iam antea constituerat Persidi præficere, quòd se iacentem ac semianimum in Mallis opposito scuto protexisset. Habebat eo tempore Alexander septem modò sui corporis custodes, quos Somatophylacas uerbo græco appellabant: Leonnatum Antei, Hephæstionem Amyntoris, Lysimachum Agathoclei, Aristonum Pisæi, hos Pellæos: Perdiccam Orontis ex Oretide, Ptolemæum Lagi, & Pithonẽ † Crateri, Eordenses: quis Peucestes octauus est additus. Inter hæc Nearchus regiæ claßis præfectus, montanorum & Gedrosorum & Ichthyophagorũ oris collustratis, ad Carmaniæ oram profectus, quæ sibi in ea nauigatione contigerant, quæq; uiderat, Alexandro ordine narrauit: quem mox ad classem in oras Susianorum remissum, ad Tigris fluminis hostium

Dionysius triumphus.

Peucestæ in Alexandrum officium.

Alexandri σωματοφύλακες.

κρατιᾶ.

t stium

stium nauigare iussit. Quomodo autem ab Indo flumine ad mare Persicũ & Tigris exitũ enauigauerit, Nearchũ sequens, seorsum alio libro exponã. Alexander Hephæstionem cum magna exercitus & iumentorũ ac elephantorum parte, haud procul à mari hybernandi causa ex Carmania in Persidem ire iubet: quòd ea regio per hyemis tempus, quoniam mari uicina est, mitioris cœli, & rerum necessariarum abundans esset: ipse cũ expeditissimis quibusq; peditum, & amicorũ equitatu, ac sagittariorũ parte, ad-

Pasargadæ. *uersus Pasargadas Persidis profectus est, Stasanore domũ remisso. Cumq; in Persidis fines peruenisset, Phrasaortem satrapam non reperit: qui eo adhuc in*

Orξίνης. *Indis res gerente, morbo decesserat. uerum Orsines præsidem gerebat, cũ nemo esset qui post Phrasaortis mortem eam prouinciam tueretur. Accessit quoq; ad eũ in Pasargadas Atrobates, Mediæ satrapes. isq; Baryaxem Medũ uinctũ adduxit, affectati regni reũ, quòd cidarim rectã induisset, seq; Medorũ ac Persarũ regem appellari iussisset: & cũ eo defectionis par*

Cyri sepulchrum uiolatũ. *ticipes, quos omnes necari imperauit. Conturbatus est aũt uehementius sepulchro Cyri uiolato, quòd suffossum ac spoliatũ Aristobulus tradit: de quo hoc scribit. Sepulchrũ esse apud Pasargadas in hortis regijs, circa id lucũ omni arborũ genere consitũ, in eum per canales aquam deriuari, alto gramine circumfuso,*

qua-

quadrangulari lapide quaternorum pedum, ab uno ædificium constare. in eiusdem fastigio ædiculam lapideo fornice contectam, portulam inesse angustam, uix mediocris hominis capacem. In eadem ædicula *auream urnam impositam, in qua Cyri corpus conditum esset, lecticam pedibus aureis mira arte elaboratis: candym, quæ est uestis regia, lectulo superiniectam, aliosq; corporis cultus, Babylonij operis. Stolas præterea hyacinthino colore, itemq; uariegatis coloribus insignes: torques quoq;, & armillas, & gladios: auri quoq; ornamenta, ex auro gemmisq; composita: mensam ingentis precij, arma lecto imposita, quibus ipse Cyrus uti solitus. domunculam autem adiectam, in eorũ usum qui monumentũ custodirent: filijs post parentũ mortem in id munus succedentibus.* His *pecudem unam, frumentiq; triti ac uini certum modum singulis diebus, equum unum singulis mensibus in sacrificium, à successoribus dari solitum. Sepulchri titulum* Persicis *literis annotatum, in hanc ferè sententiam*: O mortalis, Cyrus ego *sum, Cambysæ filius, qui Persarũ regnum constitui,* Asiæq; *imperaui. Itaq; ne mihi ob hoc monumentum inuideas, rogo.* Erat Alexander *iam tũ cũ Persas uicit, percupidus inuisere Cyri sepulchrum. Ingresso itaq;, omnia furto sublata, præter urnã ac lectũ, reperit. Neq; ipsius quoq; Cyri corpori parsum, repulso namq; urnæ operculo, & ipsius corpus eiectum,*

Candys.

Cyri epitaphium.

urnæ aurum derasum: fures propter eius craßitudinem, nec furtiui, nec exigui temporis id opus arbitratos, urnam (ne in furto deprehenderētur) reliquisse. Refert idem Aristobulus, exornandi denuo sepulchri sibi negocium ab Alexandro datum: seq; eas corporis reliquias, quæ adhuc supererant, in urnam stragula ueste uelatam collectas recondisse, refectam urnam rursus operculo texisse: lectumq; coronis, alijsque ornamentis, instar priorū, exornasse: totidemq; numero, et precio, paria pristinis reposuisse: ad hæc portulam ædiculæ ita, ne quòd eius uestigium extaret, regio signo impresso, lapide & calce struxisse.

Magi capti, ac rursus dimissi.

Post hæc Alexander rei indignitate permotus, Magos sepulchri custodes comprehensos in quæstionem dari iubet, qui sepulchri uiolatores indicent. Sed neq; de se, nec de alio quoquam confeßi sunt: neq; dum ab ullo conuicti, à se id scelus admissum esse. quapropter ab Alexandro liberati sunt. Exinde Persarū regiam accessit, quàm priore aduentu (ut dictum est) cremari iusserat. quod factum eius nec ego laudaui, nec ipse quoq; reuersus comprobauit.

Orxinis supplicium.

Ibi multa Orxinis crimina, qui Persas post Phrasaortis obitum rexerat, obiecta sunt, quòd templa spoliasset, quòd sepulchra uiolasset, quòd multos Persarum iniustè peremisset. ipse conuictus, in crucem sublatus est: Peuceste in eius locum suffecto, qui satrapes factus (uir proni in adulatio

latio

lationem ingenij) quo sibi Barbarorum animos illiceret, linguam Persicã protinus didicit: Medorumq́; ueste assumpta, cultu Persico per cætera usus est. Quod eius factum & Alexander laudauit, & Persæ lætis accepere animis, quod penes se cultus patrijs moribus prætulisset. Peucestas assentator.

ARRIANI NICOMEDENSIS de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum, Liber Septimus.



OSTQVAM *Alexander in Pasargadas ac Persepolim profectus est, rursus eum cupido cœpit, per Euphratem ac Tigrim mare Persicum adire, & ipsorũ fluminum exitum uisere, quemadmodum Indi antea uiderat. Sunt etiam qui scribant, cogitasse Alexandrum, Arabum atq; Aethiopum itemq́; Libyæ ac Numidiæ oras ultra Atlantem montem, Gades, & nostrum mare cum classe obire: Aphricáq; & Carthaginẽ subacta, totius Asiæ se regem appellare: reges Medorum ac Persarũ, ne minimæ quidem parti Asiæ imperãtes, haud iure magnos uocatos sibi uisos esse.*

Alij addūt, cogitasse eum in pontum Euxinum proficisci, aduersus Scythas, ad Mæotim paludem. Nonnulli etiam in Siciliam, & Iapygium promontoriū. Iam tum enim Romanorum nomine latè diffuso, stimulabatur animus gloriæ auidus. Ego autem cuiusmodi essent eius cogitata, neq; affirmare, neq; assequi possum: neq; si possim, id dicere ausim. Illud uero mihi uideor affirmare posse, eum nec humile quicquam, nec abiectum animo uoluisse, nec partis acquieturum fuisse: non si Europæ imperio Asiam atq; Aphricam Britannosq; continuata uictoria adiecisset: quin etiam ultra orbem terrarum aliud fuisse quæsiturum. Quapropter Indorum sapientes quosdam aiunt Alexandro atq; eius exercitu conspecto (sub dio enim Magi in pratis agere solebāt) pedibus terram pulsare cœpisse. Interrogatos ab Alexandro per interpretes, quid ita facerent? respondisse: Tantum quenq; terræ tenere, quantū ambulans calcaret: & ipsum quidem Alexandrū cæterorū mortaliū similem esse, præterquā quòd plurimis rebus occupatus, inquietusq;, sibi æquè atq; alijs molestus, tam procul à patria progressus esset: pauloq; post morientē, non plus terræ possessurū, quàm quantū corpori suo contegendo sat foret. Laudauit quidē Alexander sapientum sententiā, ut ueram atq; præclarā: cæterū auaritia gloriæ atq; imperij, illū in contraria transuersum

Arriāi in scribenda historia cautio.

Magorū præclarū apophthegma.

sum egit. Eodẽ modo et Diogenẽ Sinopeũ admiratus dicitur, cũ eũ apud Isthmon iacentẽ in sole, stans ipse cũ argyraspidũ manu, & militibus suis uidisset, quæsissetq; ex eo, Num aliqua re egeret? cui Diogenes, Diogenis Sinopei dictum. *Nulla se prorsus egere: id tantũ petere, ne sibi solem eriperet, quẽ oppositus occuparet. Adeò nõ usq; quaque à cogitatione optimarũ rerum auersus erat: sed amore gloriæ (ut diximus) ad deteriora trahebatur. Namq; & ueniente Taxila cũ Indorũ quosdam sapientes nudos agere uidisset, desideriũ cœpit unum aliquem eorũ secũ in eam expeditionẽ (cuius consuetudine frui posset) adducendi, tolerantiã laborũ incredibilẽ admiratũ. Cæterũ maximũ natu, eundemq; magistrũ Sophistarũ, ac principem (quem Dandamim uocabant) respondisse: neq; se ad Alexandrum* Dandamis. *uenturũ, neq; passurũ ex discipulis quenquam adire: se item Iouis filium esse, quod Alexander uulgò iactaret: nec rẽ ullã ab eo expetere, præsentibus contentũ: uidere se Alexandrũ & qui cũ eo militarent, tantum terrarũ et pelagi nulli bono pererrare, nec eorũ erroribus ullũ finẽ fore. nihil itaq; se expetere, quòd Alexander præstare posset: sed & nec timere quidẽ, ne ijs quæ teneret prohiberetur. sibi in omnẽ uitã Indorũ regionẽ pro tẽpore fructũ ferentẽ sat esse: cũq; ex hac uita iubentibus dijs excedere cõtingeret, discessurũ se à socio non satis clemente: id est, à corpore.*

t 4 Quæ

Quæ cum audiſſet Alexander, noluiſſe inuitum cogere: quòd cum liberum eſſe, ac liberè loqui ſciret. Perſuaſiſſe tamen Calano, qui erat è Sophiſtarum numero, uti ſe ſequeretur: quem ut maximè inconſtantem (Megaſthenes ſcribit) cæteros Sophiſtas accuſare ſolitos, qui relicta fœlicitate, quam apud ſe eſſe exiſtimabant, alium dominum, quàm Deum coleret. Hæc ego hoc loco enarranda duxi, quoniam oportebat in hiſtoria, quæ de Alexandro ſcripta eſt, de Calano mentionem fieri. Is nanq; in Perſide, cum in morbum incidiſſet, qui nunquam antea æger fuerat, non patiebatur ſe ad ægrotantium regulam curari. Alexandro inquiens, bene ſecũ agi, ſi è uita excederet, antequàm aliquid pateretur, quo de prioris uitæ ordine ſibi quicquam neceſſario immutandum eſſet. Quem poſtquàm Alexander fixum atq; immutabilem animaduertit, nec retineri in uita poſſe, pyram extrui (ut Calanus iuſſerat) permiſit, eius rei negocio Ptolemæo dato. Sunt qui aſſerant, pompam ab Alexandro permiſſam: equos ſcilicet, ac milites armatos: quoſdã etiã qui thura atq; omnis generis odoramenta, poculáq; aurea atq; argentea, & regales inſuper ueſtes pyræ ingererent: et quoniam propter ægritudinem ambulare non poſſet, equum ei paratũ: cuius iactationem cum uix ferret, lectica impoſitum, atq; Indico more coronatum, & patria lingua hymnos

Calanus.

nos

nos canentem, equum, quem fuerat inscensurus (erat autem regius ex genere Nysæorum) à se Lysimacho donatum, uni ex ijs qui eum propter sapientiam colebant: Pocula uero, & stragula uestis, quæ Alexander pyræ superijci iusserat, ijs qui circa se officij causa erant distributa. Eundē conscensa pyra, respicientem exercitum cum decore membra posuisse: Alexandro (neq; enim decere existimabat eiusmodi spectaculo de homine amico interesse) à conspectu eius digresso. Omnibus uero qui aderant, non mediocri admirationi fuit, quòd cum cremaretur, quasi ignis nihil noceret, toto corpore immobilis stetit. Incensa pyra, ait Nearchus tubas insonuisse (ita enim ab Alexandro mandatum) totumq; exercitum clamores in cœlum sustulisse, prout in prælijs fieri solet: elephantos quoq; horrendū infremuisse. Hæc atq; huiusmodi de Calano graues autores scripsere, non inutilia omnino mortalibus, quibus curæ est agnoscere hominis animū: omnia dura perferre posse, ac si uelit, inuictum esse. Post hæc Alexander Susas progressus, Atropatem domum remisit: Abulitem Susiorum satrapem, & Oxatrem eius filium, quia in Susios multa auariter ac superbè perpetrauerant, damnatos occidi iussit. multa namq; per eos, quibus prouincias ac nationes à se subactas Alexander commiserat, quoniam diuturnior fuerat eius in Indis expeditio, Calani mors. Atropates. Abulites.

ditio, nec eum reuersurũ credebant propter ingentia pericula quæ subiturus uidebatur, tum efferarũ gentium, tum amplißimorũ fluminũ, tũ inopiæ rerũ necessariarũ, tã in deorũ templa quàm in populos suæ fidei commissos, crudelißimè acta fuerãt. Sed et ipse Alexander tũ promior in delatores fuisse dicitur, & conuictos quoq; uel pro leui noxia punisse: utpote qui sibi persuasisset, illos etiã ijs peiora eadẽ mente perpetraturos fuisse. Post hæc ingenti apparatu, & sibi & amicis nuptias celebrare instituit. et sibi quidem Barsinem Darij filiam (ut ait Aristobulus) iusto matrimonio copulauit: ac Parysatim, filiam Occhi iuniorem, iam enim ante Rhoxanem duxerat (ut diximus) Oxyartis Bactriani filiam: Drypeti altera Darij filia, uxore Hephæstioni data. uolebat enim, quo sibi magis Hephæstionem deuinciret, illius filios liberis suis consanguinitate iunctos esse. Cratero Amastrinem Oxyartis fratris Darij filiam: Perdiccæ Atropati Medorum satrapæ filiam, Ptolemæo ac Eumeni scribæ regio duas Artabazi filias, huic Artacamam, illi Artonim: Nearcho Spitamenis Bactriani filiam uxorem dedit. alijs item amicis, Persarum ac Medorum (qui dignitate præstabant) filias circiter octuaginta collocauit. Nuptiæ Persarum more celebratæ sunt, sedes ex ordine ijs positæ qui uxores ducturi erant, conuiuium regali magnificentia apparatum:

Alexandri, et procerũ eius nuptiæ.

tum: tum sponsæ accersitæ, eæq; dexteris atq; osculo à uiris acceptæ sunt, unaquæq; apud uirum suum sedere iussa. Harum rerum initium (*nam cunctorum nuptiæ simul agebantur*) *à rege factum.* Hoc Alexandri *facinus, si quod unquam alias, maximè populare in suos uisum est.* Dotes *omnibus contulit. aliorũ etiã nomina, præter hosce quos modo nominauimus, qui Asiaticas uxores cepere, scribi iußit.* Hos *supra dena milia fuisse tradunt, quos omnis honoris causa* Alexander *pro dignitate muneribus affecit.* Deinde, *quo nihil non populare efficeret, æs alienum quo milites deuincti erant, sua ipsius pecunia dissoluit. Cumq; quantum cuiq; quisq; deberet, ad se referri iußisset, initio quidem pauci nomina dedere, ueriti ne sub eo prætextu exploraret, quibus nam ob immoderatiores sumptus militare stipendium non sufficeret.* Postq̃ *uero intellexit plerosq; nomina non dare, diffidentia eorũ increpita, ait:* Nõ *decere regẽ, ementiri in populares suos: nec rursus populares, existimare regem suũ mendacem esse.* Deinde *mensas cum mensarijs suis, totis castris disposuit, qui creditoribus nominibus debitorũ suppreßis soluerẽt.* Tũ *credi tũ est, posita suspicione,* Alexandrũ *reuera obæratos oẽs ære alieno liberare uelle: ex quo regis beneficiũ multo ijs cumulatius ampliusq; uisũ est.* Ea *dissolutio æris alieni supra* XX *millia talentũm fuisse dicitur.*

Alexādri in milites liberalitas.

Ad

Ad hæc multa alijs pro dignitate, alijs pro uirtute & meritis elargitus est. Eos uero qui fortitudine cæteris antestetissent, aurea corona donauit. Imprimis Peucestam, qui ab hostibus circumfusum in Mallis, obiecto scuto seruasset. secundo loco Leonnatum, qui & ipse è uitæ periculo eum eripuerat, & apud Indos multa discrimina adierat, & copijs qui rebellauerāt uicerat. tertio loco Nearchum, qui Oceanum ingressus, Indorum oras cum classe obierat: nam et hic iam Susas (ut dictum est) peruenerat. Post hunc Onesicritum, nauis suæ gubernatorem. deinde Hephæstionē, atq; alios corporis sui custodes, pro dignitate singulos. Post hæc ad eum profecti sunt aliquot satrapæ, tum ex urbibus à se conditis, tum ex nationibus subactis: & cum his adolescentes circiter XXX millia, pari ætate omnes, Macedonicis armis instructi: Epigoni. quos Epigonos, id est successores appellabat. Horum aduentu Macedones nonnihil contristari uisi sunt: tanquam Alexander cogitaret, ne usq; adeò amplius Macedonibus egeret. Conturbatos quoq; Macedonas ferūt propter mutatū à rege habitum, nuptiasq; more Persico celebratas. nec solum cæteris, sed etiam quibusdā eorū quibus uxores dederat, quamuis ex paribus ac cōmunibus nuptijs non mediocriter sibi honestati uiderentur, hæc grauia erant. Peucestæ quoq; in ipso peregrino cultu, sermo Persicus molestus

fius erat: quoniam Alexandrum sermone illius semibarbaro delectari cernebant. Mouebat etiam eos, quod Bactrianorum, Sogdianorum, Arachotorum, Zarangorum quoque & Ariorum, Parthorum ac Persarum equites in amicorum equitatum receptos uidebant, quotquot dignitate, aut corporis pulchritudine, aut alia quapiam excellentia uisi sunt cæteris antecellere: quodque in quintam equitum præfecturam aucto equitatu, Barbarorum plurimos recepisset. Ad hæc Cophem Artabazi filium, & Hydarnem, atque Artibolem Mazei filios, & Phradasmenem, atque alios præter hosce Phrataphernis Parthorum atque Hyrcaniæ satrapæ filios, ac Itanem Oxyarti Roxanes uxoris fratrem: itemque Aegobarem, ac Mithrodæum fratres in cohortem regiam admissos: hisque omnibus Hidaspem Bactrianum præpositum, & Macedonica iacula his data animaduertebant. quæ omnia Macedones periniquo animo ferre, ueluti Alexandro in Barbarorum mores transeunte, ipsosque Macedonas ac Macedonicos mores iam fastidiente. Post hæc Alexander Hephæstionem cum magna peditatus parte mare Persicum adire imperat: ipse cum nauibus sub ductis, & Susas terrestri itinere conuectis, iisque rursus incensis, cum argyraspidis & cohorte regia, ac parte equitum amicorum, Eulæo flumine eôdem contendit. Cumque haud procul ab hostio fluminis per-

Cophis. ὑσάσπεις Eulæus flu.

peruenisset, infirmioribus nauibus ibidē relictis, cū his qui remis habiliores erant, Oceanū ingressus, ad hostiū Tigris enauigauit. Cæteræ naues ipso amni subuectæ sunt in fossam, quæ à Tigri in Eulæū perducta erat, & per eam fossam in Tigrim deuectæ. Euphrates ac Tigris duo ingentes amnes, Assyriam interiectam (unde & ab indigenis Mesopotamia uocatur) terminant. sed Tigris Euphrate depressior humiliorq́ue, multas ab eodem Euphrate fossas, pluresq́ue præterea fluuios in se admittit: quibus auctus, mare Persicū influit, grandis iam, ac nusquam uado transmeabilis: neq; enim per campos effunditur, neq; in fossas deducitur. quoniam terra altior est, neq; aliud flumen illabitur. Euphrates uero per altiora excurrit, ubiq; ripis æqualis, multæ fossæ ab eo deriuātur: aliæ quidem perennes, ex quibus accolæ utrinq; campos irrigant: aliæ temporariæ. Rari in his locis imbres cadunt. quapropter & uadosus est, & haud magnam uim aquarū uehit. Alexander enauigato Oceano, quantū sinus Persicus continet, per littus mediū inter Eulæū ac Tigrim, Tigri inuectus Hephæstionis castra petijt: & abinde Opim urbē, super ipso Tigri sitā, profectus est, cataractis omnibus è flumine sublatis: quas iccirco indigenæ interiecerāt, ne qua inimicorū classis in eorū fines penetraret, quarum multitudine difficilior erat nauigatio. Eas uero molitiones

Tigris. Euphrates. Mesopotamia.

Opis urbs.

nes Alexander & irrisit, et facile deleuit. Opim pro fectus pronunciauit, omnes se milites qui uel ætate uel inualetudine uel alia iusta causa militares labores perferre nō possent, missos facturū: domumq; remissurū, qui uellent. Qui uero uoluntariè remanerēt, & ea loca incolere destinarent, eos se tantis affecturum muneribus, ut his qui domi fuerint, inuidiosi futuri sint. Et hæc quidē atq; huiusmodi Alexander uulgò iactabat, ueluti Macedonibus gratificaturus: quæ illi tanquam despecti atq; inutiles à rege existimati, non iniuria per iniquo animo patiebantur. Accedebant aliæ ægritudinis atq; indignationis causæ: Persica uestis, ornatus Macedonicus Barbaris adolescentibus concessus, peregrinorū equitum & amicorū confusi ordines. Quapropter silentio tandē abrupto, omnes sese militiæ sacramento absolui petierunt. Nec defuere, qui uerbis insultantes exprobarent, ut ipse cū patre suo Ammone aduersus hostes bellū gerat. Quæ cū audisset Aleāxder (erat enim effectus in irā pronior, & Barbarorū lateri assistentium fauor eum in Macedones aliquanto ferociorem reddiderat) repente consurgens cū his duobus qui circa se erant, seditionis autores cōprehendi iubet, manu designans quos capi uellet. tredecim hi fuere: quos omnes interfici iussit. Deinde cum exterritis cæteris silentio facto rursus consedisset, hunc in modum uerba fecit. Alexander in iram pronus.

Non

Alexādri ad milites oratio.

» Non ob eam rem Macedones, uti uos ab isto finiendæ
» militiæ intempestiuo desiderio deterream, apud uos
» nunc uerba faciā (licet enim uobis per me quidē quo
» cunq; libeat abire) sed uti cognoscatis, qualis in suos
» Philippus pater prius, deinde ego in uos fuerimus:
» quas ue ipsi contrà nobis gratias immaturo discessu
» uestro referatis. Ac primum (ut par est) de Philippo
» patre loquar. is enim uos errantes ac uagos, omnium
» rerū inopes, plerosq; etiā pellibus amictos pastores,
» pro quibus cū Illyricis ac Triuallis Thracibusq; fi-
» nitimis continuè pugnabatis, in tutelam ac fidem
» suam recepit, ex montibus asperis in plana & culta
» deduxit, pro pellibus chlamydes ornatas ferre dedit,
» armis instruxit, rem militarem docuit: ut non magis
» locorum munimentis ac situ contra finitimos, quàm
» armis & uirtute uestra tuti essetis. Ad hæc in oppi-
» da uos induxit, legibusq; & institutis optimis or-
» nauit: ipsosq; Barbaros, à quibus prius uehementer
» uexabamini, eorum agros, seruos, populares seruire
» uobis coëgit, magnā Thraciæ partē Macedoniæ adie
» cit, multum quoq; oræ maritimæ occupauit, quo uo-
» bis apud exteras gentes negociandi facultas esset:
» perfecitq;, ut adēpto finitimorū metu, metalla defo-
» dere possetis, unde ad uos magnæ opes peruenere.
» Thessalis, qui uobis formidini prius erant, uos præ-
» posuit: domitisq; Phocensibus, transitū in Græciam

latum

latum, ac facilem ex angusto & difficili uobis reddidit. Athenienses quoq; & Thebanos, qui Macedoniæ insidiabantur, nobis iam unà secum militantibus, ut pro tributo ijs pendi solito, ipsi nunc è contra à uobis sibi pacem & quietem postulent. In Peloponnesum deinde transgressus, eam prouinciam ordinauit, duxq; totius reliquæ Græciæ cum amplissima potestate designatus, belli aduersus Persas suscipiendi, nõ magis suam gloriam quàm Macedonum esse uoluit. Et hæc quidem à Philippo patre in uos profecta beneficia, si per se pensentur, hauddubiè magna sunt: sin uero cum nostris conferantur, parua profectò uidebuntur. qui ipse patri succedens, aurea quidem & argentea uasa in eius supellectile pauca reperi, in thesauris talentûm uix sexagesies reliquit. Præterea æris alieni talenta circiter quingenta, super quæ contracto à me nouo ære alieno talentûm octingentorũ è Macedonia moui, quæ quidem alendo exercitui uix satis esse uidebantur. ac protinus Hellespontum uobis patefeci, Persis mari potientibus, uictis: deinde equestri prælio Darij ducibus & copijs, totam Ioniam Macedoniæ regno adieci. nec Ioniam modo, sed & Aeoles, ac utrosq; Phrygas, Lydos quoq;, & Milesios obsidendo cepi, aliasq; insuper gentes nationesq; uobis subieci: Aegyptiorũ ac Cyrenensiũ opes quibus sine ui potiti sumus, ad uos accessere. Cœle-

u syria

» *syria quoq; & Palæstina, ea quæ inter flumina sita*
» *est, possessiones uestræ sunt. Babylonem, Bactra, Su-*
» *sas tenetis, uestræ sunt Lydorum diuitiæ, Persarum*
» *thesauri, Indorum fortunæ, uester deniq; Oceanus:*
» *uos satrapæ, uos copiarum duces, uos ordinum prin*
» *cipes estis: ut iam nihil mihi ex tot rebus partis præ-*
» *ter hoc diadema & purpuram supersit. Nihil priua-*
» *tũ, aut à uobis seiunctũ, teneo. nec potest quis demon-*
» *strare thesauros meos: quippe qui nulli sunt. nec por*
» *ro exquisitioribus cibis aut epulis, quàm uestrum*
» *quisquam, utor. fortasse etiam uilioribus, quàm ple-*
» *riq; è uobis: plus uigilare quàm uos, me certò scio, ut*
» *ipsi quietos somnos capere poßitis. Sed hæc forte o-*
» *mnia, laborantibus & discrimina subeuntibus uobis,*
» *ego unus dux uester laborũ & periculorũ immunis,*
» *adeptus sum. Ecquis uestrum est per deos immorta-*
» *les, qui queat uerè dicere, se plus gloriæ meæ causa,*
» *quàm me pro sua utilitate & honore laborasse? Age*
Alexandri uulnera. » *igitur, qui ex uobis uulnera pugnando acceperunt,*
» *denudent cicatrices suas: quibus ego uicißim meas*
» *ostendam, uti agnoscant, nullã mihi partẽ in aduerso*
» *pectore intactã esse: nec ullũ sanè genus est teli, quo*
» *ictus non fuerim, cuius'ue uestigium in meo corpore*
» *nõ appareat. Sed & gladio quoq; ab hoste percussus*
» *sum, lapidibus ac sudibus contusus. Atq; hæc quidem,*
quæ

quo uos honore & gloria augerem, pericula suscepi. «
Ego uos per omnes terras, montes, flumina, maria «
ubiq; uictores duxi: uxoris nuptias cũ nuptijs ue- «
stris celebraui, multosq; filiorum uestrorum filijs «
meis cognatione & consanguinitate deuinxi. Aes «
alienum, quo tenebamini (quod fuit ingens, præter «
militare stipendium) ipse persolui: quamuis ex tot «
uictorijs nostris ingens ad uos præda & res accesse- «
rit. Coronæ aureæ, quibus plerosq; uestrûm donaui, «
tam nostræ erga uos singularis beneuolentiæ, quàm «
uirtutis uestræ immortalia monimenta sunt. Quis- «
quis militum in prælio cecidit, gloriosa illi mors, fu- «
nus illustre fuit. Aeneæ etiam statuæ pluribus eorum «
domi positæ, parentibus honor hic redditus, ut pu- «
blicorum munerum ac tributorũ expertes sint. Ne- «
mo adhuc uestrũ, me ducente, & rem gerente, fugere «
coactus uitam amisit. Et nunc sanè uel ætate uel casu «
imbecilliores factos, ita domum remittere constitue- «
ram, ut uel ijs qui domi ociosi uitam agunt, inuidiosi «
fierent. At postq̃ idem abeundi animus omnibus est, «
abite omnes, ac domũ renunciate: Redijsse uos, rege «
uestro deserto: qui Persas, Medos, Bactrianos, ac Sa- «
cas uicit: Vxios, Arachotos, & † Dranchos expu- » Δράγκας.
gnauit: Parthos † Coracosmos, & Hyrcanos, usq; » χορασμίας
ad Caspium mare domuit: qui Caucasum montem «
transgressus, portasq; Caspias: itemq; Oxum, «

u 2 Tanaim,

» Tanaim, Indum, à nemine antè præterquàm ab uno
» Dionysio traiectum: Hydaspem quoq;, & Acesinem,
» Hydraotem atq; Hyphasim transgressurus fuerat, si
» sequi uoluissetis. qui deniq; in Oceanum per utraq;
» Indi hostia profectus, atq; inde in terram egressus,
» per Gedrosorum fines, atq; imperuias solitudines,
» Carmanos atq; Oritas cœpit, emensóq; Oceano ab In
» dorum finibus ad Persicum mare, nauali classe uos
» incolumes ac uictores Susa reduxit. Hæc, inquam, do
» mum renunciate, neq; à uobis deuictarum gentium
» fidei relictum esse. Quæ ubi elocutus est, protinus
surrexit: regiamq; ingressus, neq; corpus curauit,
neq; amicorum quenquam eo die ad se admisit. Idem
postridie fecit. Tertio die uocatis ad se Persarum pri
moribus uiris, ducatus ordinum inter eos diuisit: &
quos consanguineos appellauit, ijs solis sibi osculũ
ferre licere sanxit. At Macedones regis oratione cõ-
moti, attonitis similes, apud tribunal nulla uoce edi-
ta constitere: nemine regem intrò sequi auso, præter
regiorum amicorum ordinem, & corporis custodũ.
Ipsa uero multitudo neq; permanendo quid ageret
sciebat, neq; discedebat. Postquàm uero cognitum est
quid intus actũ essent, ducatus Persis datos, Barba-
ros in uarios ordines distributos, Macedonica nomi-
na ijs imposita, non iam amplius conceptum animis
dolorẽ perferre potuerunt. Sed concursu in regiam
facto,

facto, arma ante ianuam, pœnitentiæ signum proiecerunt: ac præ foribus stantes, intromitti se, sibiq; ignosci suppliciter orabant, seditionis autores dedituri: nec à ianua, nisi uenia impetrata, discessuri. Quæ postquàm regi nunciata sunt, patefacta ianua ad eos egressus, cum animaduertisset illorum eiulatum ac tristitiam, ipse quoq; collachrymatus est. Cumq; aliquantum uelut aliquid dicturus constitisset, illi tam diu immobiles ac supplices mansere. Tum Callines, silente rege, ætate simul et dignitate in equitatu amicorum non obscurus, pro omnibus ita locutus est.

Arma ante ianuam proiecta pœnitentiæ signum.

Hæc sunt (ô rex) quæ Macedonum animos conturbant, quòd Persarum quosdam tibi cognatos effecisti, quòd consanguineos appellas, quòd eosdem tibi osculum ferre permittis: quam rem usq; adhuc Macedonum nemini concessisti, qui te per infinitos labores, per immensa pericula, tamdiu procul à patria secuti sumus. Nos uero te quoquò uelis sequi decreuimus, nec recusamus quo minus eosdem labores ac pericula de integro subeamus. Nam quòd huic peregrinationi finẽ imponi cupiebamus, nõ sanè odio tui, non militiæ satietate fiebat: sed (quod tibi minimè mirũ uideri debet) patriæ, parentũ, coniugũ, liberorũq; diuturno desiderio. Itaq; siue regredi, siue progredi uelis, imperium tuum nõ detrectabimus. Quibus uerbis placatus Alexander, uti Macedones consanguinei

Callinis oratio.

sui appellarentur, utq; osculum ferrent, concessit. Primusq; omnium Callines eum osculatus est: idem cæteri Macedones fecere. Quo facto, rursus assumptis armis, quæ ante regias fores proiecerant, læti in castra reuersi sunt. Deinde Alexander quo dijs gratias ageret, sacrificio facto, conuiuium populare instituit, in quo primi circa ipsum honoris gratia Macedones accubuere. deinceps Persæ: post eos ex alijs gentibus deuictis, quicunq; aut dignitate aut uirtute præstabant. Tum cratere, quo rex biberat, ad eos qui circa ipsum discubuerāt circumlato, uota suscepta sunt, incipientibus Græcis uatibus, et magis, tum alia regi exercituiq; prospera, tum maximè æternā Macedonum ac Persarū concordiā, & cōmunis imperij societatem precantibus. Nouem millia uirorum huic conuiuio affuisse fama est: eosq; omnes ex eodem cratere libasse. Post hæc uolens libensq;, quòd prius instituerat, Macedonas missos fecit: quos uel ætas, uel morbus, uel uulnera inutiles bello reddidissent. Hi ad terdena millia fuisse perhibentur: quibus non præterita modo stipendia cum fide persoluit, sed etiam pecuniam in uiaticum præbuit, talento singulis dato. Filios ex fœminis Asiaticis susceptos, cum matribus apud se relinqui iussit, ne causa seditionis in Macedonia essent: quos Macedonibus moribus institutos, ac rei militaris doctos, ipse postea in Macedoniam rediens,

Conuiuium nouem milliū.

diens, parentibus esset redditurus. Ad hæc Craterũ quo fidelißimo & amantißimo utebatur, ijs ducem exhibuit: omnibusq; salutatis, præ charitate lachrymantes, lachrymans & ipse à se dimisit: mandatis Cratero additis, uti eos in Macedoniam reduceret, ipse Macedoniæ, Thessaliæ, ac Thraciæ præesset, Græcorumq; libertatem tueretur. Antipatrum, qui & ipse proficiscebatur, alios Macedonas qui militare possent, pro ijs qui domum remittebantur, ad se ducere imperat. Polyperconta quoq; cum his mittit, ut si quid aduersi Cratero in itinere contingeret, qui haud satis firma ualetudine erat, ipse Crateri munus (ne dux itineris desit) subeat. Fama quædã licet obscura, in uulgus exijt, ab his qui regũ negocia, quo magis occultãtur, hoc magis efferre concupiscũt: quæq; uerisimilia uidentur, semper in peiorem partẽ uertunt: Alexandrũ compulsum maternis de Antipatro calumnijs, Antipatrũ Macedonia amouere cogitasse. Sed fortasse hæc Antipatri euocatio nihil ad ignominiã eius pertinebat: sed potius, ne ex illorũ cõtentione aliquid mali oriretur, quod ipse postea sanare non posset. Namq; frequentes literas ad Alexandrũ dabat. Antipater Olympiadẽ ut importunã, ut mobilẽ accusans, quodq; circa plurima occuparetur, quæ haudquaq̃ decere uiderẽtur Alexandri matrẽ. Quibus de rebus commotũ Alexandrũ aliquando dixisse

perhibent, grauem pensionem pro mensibus decem, quibus in utero eius fuisset, matrem à se exigere. Olympias uero Antipatrum, ut insolentiorem, tum ex diuturno imperio, tum ex fauore popularium factũ arguebat. Nec iam amplius recordari, à quo tantam potestatem accepisset: sed semet tanti se faceret, ut sibi dignus ipse uideatur, qui Macedonibus cæterisq; imperans regnet. Atq; hoc magis apud Alexandrum ualuisse uidebantur, quæcunq; in suspicionem insidiarum & affectati regni de Antipatro ferebantur. Nihil tamen ab Alexandro uel dictum uel factum, ex quo quis suspicari posset, ipsum ab Antipatro abalienatum esse.

Antipater in solentior.

Desiderantur hic uersus aliquot, etiam in Græco.

Hoc sermone deterritũ Hephæstionem, cum Eumene, licet inuitum uolente, reconciliatũ esse. In hoc ipso itinere fertur Alexander campum uidisse, in quo iumenta regia pasci solita (Nisæum uocitatum, equosq; Niseos appellatos) Herodotus autor est: fuisseq; olim in his campis equarum circiter CL milia, tunc uero non reperta plus L milibus, quarum Alexander haud multo plures quàm quinq; asportauit. namq; à latronibus direptæ distractæq; fuerant. Huc Atropa-

πεδίον νισαῖον.

Atropates Medorum satrapes fœminas C ad Alexandrum adduxit, quas ex Amazonum genere esse aiebat: eas cultu & habitu uirili ornatas, præterq̃ quòd secures pro lanceis, pro clypeis peltas ferebãt. Nonnulli etiam ferunt, dexteram mammam ijs minorem fuisse: quàm, dum in prælijs uersabantur, exerebant. Eas omnes Alexander ne quid probri in castris paterentur, domum remisit: iussas reginæ renunciare, sese ad eam generandæ prolis causa profecturũ. Uerũ hæc neq; Aristobulus, neq; Ptolemæus, neq; alius quispiam grauis autor tradidit. Sed neq; existimauerim, Amazonum gentem ea tempestate superfuisse: de quibus neq; etiam is qui fuit ante Alexandri tempora Xenophon, rerum scriptor et dux inclytus, mentionem fecit: cum quidem & Colchorũ & Phasiorum, cæterarumq; gentium Barbararum meminerit, quascunq; Græci à Trapezunte oppido profecti, uel etiã prius quàm ad Trapezunta uenirent, percurrerunt. quibus in locis haud dubiè his Amazones occurrissent, si qua adhuc temporibus illis earum soboles extitisset. Mihi autem nõ uidetur incredibile, fuisse aliquando Amazonum genus: cũ sit à tam multis & claris autoribus celebratum. quandoquidem & Herculem fama est aduersus eas missum, Hippolytes reginæ à se uictæ baltheum in Græciam reportasse: et Athenienses Theseo duce has eas-

Atropates. Amazones. Xenophon. Herculis ac Thesei cum Amazonib. bellum.

dem, cum Europam inuaderent, primo prælio superatas repulisse: quam pugnam à Cimone non minore cura, quàm Atheniensium ac Persarum, scriptam constat. Præterea & Herodotus, & quicunque historiarum scriptores Atheniensium res gestas literarũ monumentis mandauerunt, bellum imprimis contra Amazonas celebrauere. Si quas uero fœminas equestri bello adortus Atropates ad Alexandrum duxit, non Amazonas illas, sed alterius cuiuspiam stirpis Barbararum gentium equitandi peritas, & in Amazonum morẽ armis instructas fuisse crediderim. Cũ autem adhuc esset in Ecbatanis Alexander, sacrificio peracto, quo dijs gratias ageret: ludisque gymnicis ac musicis editis, amicis lautissimum epulum præbuit. Inter hæc Hephæstion in morbum incidit, eratque is dies ab initio morbi septimus: quo die ludi, quibus pueri decertabant, agebantur. Cumque ei renunciatũ esset, morbum inualescere: relictis repente ludis, ad Hephæstionem contendit. Cæterum tanta uis morbi fuit, ut ille prius expirauerit, quàm rex eò peruenire potuerit. Hic alij alia de Alexandro scripserunt. omnes tamen in hoc unum consentiunt, incredibili dolore affectum. Qualem autem sese in dolore præstiterit, tradiderunt, prout quisque Hephæstioni, uel etiam ipsi Alexandro affectus erat. Eorum uero qui indecentiora scripsere, alij uisi sunt existimasse ad

Hephæstionis mors.

regis

regis laudem accedere, quæcunq; doloris impatientia aut dixerit, aut fecerit, in amicißimi hominis funere. Alij hæc eadem ei uitio uertunt, ueluti rem maiestatis regiæ fastigio indecoram, & Alexandri nomine indignam. Vtcunq; res fuerit, scribunt & hi quidem, Alexandrum ad multam diem super amici corpus exanime eiulantem procubuisse, uixq; inde ab amicis abstractum. Sunt item qui scribant, non eũ modo diẽ, sed & noctẽ consequentẽ, dolore luctuq; continuasse. Nec desunt qui tradãt, iußisse regẽ Glauciã medicũ, quòd in danda potione indiligentior fuisset ui sus esset, uel (ut alij tradunt) cũ uideret Hephæstionẽ uino impleri, nõ inhibuisset, necari. Sed quòd ipse sibi capillũ desciderit, super amici corpore prostratus, & alia quædã huiuscemodi fecerit, nõ utiq; inter indecora & indigna posuerim: præsertim cũ Achillẽ hoc idem fecisse in amici morte acceperimus, quem ille usq; adeò à pueritia æmulari uidebatur. Ferunt etiam aliqui (quòd ego minimè crediderim) currum, quo corpus Hephæstionis uehebatur, Alexandrum conscendisse, ac rexisse. Quidã etiã scripsere, pauimentũ templi Aesculapij, quod erat in Ecbatanis, ab ipso Alexandro defodi iußũ, quòd medicæ artes nihil Hephæstioni profuißẽt. Sed hoc haudquaq̃ credẽdũ. est enim Barbaricũ, atq; impiũ, neq; Alexandro, sed magis Xerxe diuinitatis cõtẽptore dignũ, à quo etiã Helle-

Alexandri de Hehpæstionis morte dolor.

Achillis imitator Alexand.

Xerxes diuinitatis contemptor.

Hellespontum compedibus uinctum ferunt. Verum-enimuero *hoc mihi non procul à uerisimili uidetur esse, quod est à quibusdam traditum: Eunti uersus* Babylonem Alexandro *multas* Græcorum *legationes in itinere obuiam uenisse, in quis* Epidaureorum *legati erant. quibus cum postulata concessisset, munus dedit, quod* Epidauri *in* Aesculapij *templo suffigerent, his uerbis additis: Quamuis* Aesculapius *sese aduersus me parum æquum præbuerit, qui amicum (quem alterum me existimabam) interire passus sit.* Id *autem à pluribus pro uero memoriæ proditum,* Alexandrum Hephæstioni *tanquam heroi sacrificari iussisse. Alij addunt, misisse illum nuncios ad* Ammonem *patrem, percontatum, an ipsi* Hephæstioni *tanquam deo sacrificari permitteret. idq;* Iouem *negasse. Illud uero inter omnes autores constat,* Alexandrum *totum triduum post* Hephæstionis *obitũ cibo & cætera curatione corporis abstinuisse, semper interim aut lamentantem, aut eiulantem: mandasseq; illi funus parari* Babylone, *decies centies talentũm impendio, uel eo pluris, ut quidam scripsere, luctumq; publicum* Barbaris *edixisse. Ad hæc plures ex amicis ad leuandum dolorem, & se & arma deuouisse* Hephæstioni: *ac primum omnium* Eumenem *(quem paulo antè diximus inimicitias cum* Hephæstione *gessisse) ne quid suspicaretur* Alexander *se*

Aesculapio suffixum ab Alexandro donarium.

ex

ex illius morte lætitiam cœpisse. Præter hoc Alexander ne Hephæstionis nomen interiret, neminē quenquam in illius locum suffecit: ordinemq́; cui præfuerat, Hephæstionis tribunatum Chiliarchiam, hoc est millenariam appellari uoluit: eiq́; signum præferri in agmine, & in prælio, quemadmodum ipse Hephæstion constituerat. Certamen quoq́; gymnicum ac musicum, ac multo quidem illustrius magnificentiusq́; priorū, tum pugilum multitudine, tum donatiui magnitudine edere decreuerat. Tria namq́; pugnatorum millia in id præparauerat, qui (ut ferunt) non multo pòst in ipsius funere certauerunt. Etiam aliquantum temporis à luctu eius processerat, seq́; ipse à mœrore reuocare cœperat, cum amici consolando posito luctu ad belli curas retraxerunt. Itaq́; in Cossæos gentem bello ualidam, Vxijs finitimam, primum duxit. Sunt hi montani populi, locos natura munitos incolunt, ac seorsum depascunt. Vbi se potentiore aliquo exercitu peti uident, in montium cacumina aut gregatim, aut singillatim, prout cuiq́; promptū est, sese recipiunt. Quæ cum propter difficultatem subiri ab hostibus non possint, illis recedentibus, ipsi in pagos suos reuertentes, ad latrocinia ex quo uitam agunt conuertuntur. Et quanquam anni tempus (per hyemē enim ista gerebantur) ac locorū iniquitas aduersaretur, ipse nihilominus unà cum

Chiliarchia.

Cossæi.

Pto-

Ptolemæo eam gentem collibus depulit, exterminauitq; adeò, ut nihil eius uirtuti in accessum aut inuictum esset. Petenti Babylonem, Aphricæ legati occurrerunt: eiq; gratulantes ob tantas res prosperè gestas, coronam de Asiæ regno imposuerunt. Ex Italia quoq; Brutij, Lucani, ac Tusci legatos de congratulatione uictoriæ ad eum misere. Idem & Carthaginienses fecisse dicũtur. ab Aethiopibus quoq; uenisse legatos, & item à Scythis Europam incolentibus, item à Celtis & Hispanis, amicitiam petentes, congratulantesq;, quorum nomina & cultus tum primũ cognouere Macedones. Ex his etiam quosdam uenisse ferunt, ut de controuersijs suis iudicaret. Ac tum maximè ob eas res Alexandrum & sibi ipsi, & ijs qui cum eo erant, rerum dominũ uisum esse. Aristus uero & Asclepiades (qui & ipse rerum Alexandri scriptor est) tradunt Romanos quoq; legatos misisse, edoctumq; de eorum institutis ac moribus, deq; omni repub. futuros illos præpotentes, ueluti uaticinantem dixisse. Verum hoc neq; pro certo affirmauerim, neq; ut prorsus incredibile reiecerim: licet nullus Romanarum rerum scriptor de huiuscemodi legatione mentionem fecerit, neq; ij quos magis sequor, Ptolemæus & Aristobulus. Cæterum haud consentaneum rationi uidetur, Romanos gentem tum maximè libertati studentem, ad regem alienigenam tam

Legati diuersorum populorum ad Alexandrum.

Asclepiades.

An uerisimile, Romanos ad Alexãdrũ legatos misisse.

iam procul, per tanta maris ac terrarum spacia, legatos misisse: præsertim quos neq; metus, neq; spes ulla, aut utilitatis ratio moueret, quiq; tyrannos ac reges ueluti alienæ libertatis oppressores perosi essent. Post hæc Alexander Heraclidem Argei *cum fabris naualibus in* Hyrcaniam *mittit, qui excisa in montibus materia, alias partim apertas, partim tectas instar* Græcarum *fabricentur.* Miro *enim desiderio ardebat agnoscendi, cui nam mari* Caspium *&* Hyrcanum *iungantur: utrum* Euxino ponto, *an* Oceano *(qui ab oriente circumfertur uersus Indos, in sinum* Hyrcanum*) refundatur: quemadmodum* Persicum *ac rubrum mare,* Oceani *sinus esse compererat. nondum enim cognita erant maris* Caspij *initia, quamuis multæ gentes circa ipsum incolerent, multisq; amnibus celebre esset.* Namq; Oxus *ex* Bactris *Asiaticorum fluminum excepto* Indo *amplissimus, in ipsum mare excurrit,* † *&* Araxes *quoq;, qui per* Scythas: Oxyartes *ex* Armenis *elabitur, in hoc ipsum mare exire à multis fertur. Multi præterea alij amnes, partim qui in superiores excũt, partim q seorsum fluũt, in ipsum mare ferũtur. Sed ij q dē cogniti sunt: cæteri aũt amnes ab ulteriori sinus parte, quam Scythæ montani accolunt, prorsus ignoti nostris sunt. Tygri flumine traiecto, cum exercitu*

Oxus.
Διὰ σκυθῶν δὲ, ὀξυάρτης. ἢ τὸν ἄραξιν δὲ, τὸν ἐξ ἀρμενίων ῥέοντα, &c.
Araxes.
Oxyartes.

Baby-

Babylonē proficiſcenti Alexandro proceſſere obuiā
Belus. Chaldæi uates,ne Babylonē peteret orātes: ſed Beli, qui pro deo apud eos colebatur, oraculo monitos, profectionem eius per id tempus in eam urbem uitæ eius periculum portendere. quorū monitis irridens, Euripidis uerſum protulit. Is in Latinum conuerſus, » hanc habet ſententiam: Optimus is uates, qui coniectat bene. Tum illi: Poſtquàm ô rex ſtatuiſti introire ad occidentem, ne reſpexeris cū exercitu aduenieus, ſed circumacto agmine ad orientem cōuertere. Cum id facere ſtatuiſſet, itineris iniquitas (quod & aquoſum & paluſtre erat) ut conſilium immutaret compulit: ita iubente ſiue fortuna, ſiue fato, ut ea uaderet uia, quæ ſibi uitæ finem allatura eſſet. Sed ei fortaſſe ſatius fuit, quo tempore in ſupremo gloriæ fœlicitatisq; faſtigio collocatus, & adhuc ſuis charus erat, ex hac uita diſcedere, ne poſtmodum tantas uictorias calamitas aliqua fœdaret. Qua de re Solonē dixiſſe perhibent, Crœſum monentem, uitæ finem ſpe» ctandū, nec prius beatū quenquā definiendū eſſe. Nā uel ipſe quidem Hephæſtionis interitus nō parui infortunij loco Alexandro uidetur accidiſſe: quem mea ſententia præuenire ipſe, quàm uiuens experiri maluiſſet: non ſecus atq; Achilles Patroclo præmori, quàm necis eius ultor relinqui optauit. Erat autem iniecta ſuſpicio quædā Alexandro de Chaldæis, quòd non

De morte Alexandri Plut. Iuſtin. Curt. Vitruuius lib. 8. Herodotus, Oroſius, & alii.

non tam ipsius causa atq; ex oraculo, quàm priuata aliqua utilitate aduentum suum in urbem impedire conarentur. Nam Beli templum, quod Babylonij religiosissimè colebant, media in urbe erat, ex latere coctili, magnitudine atq; opere præclarum. Quod templum Xerxes è Græcia reuersus, quemadmodum & cætera Babyloniorum loca sacra, euerterat. Id instaurare Alexander in animo habebat, & (ut quidam scripserunt) ampliatis fundamentis augere. cuius rei causa locum iam purgari, ruderaq; exportari iusserat. Cumq; ij quibus hoc negocij demandauerat, negligentiores fuissent, cogitabat ipse cum uniuerso exercitu opus aggredi. Magnus agri atq; auri modus à superioribus Assyriorum regibus Belo relictus fuerat, ex quibus templi ornamenta comparabantur, fiebántq; Belo sacrificia. Post euersum uero templū, Chaldæi annuos fructus, cum in nullos iam templi usus conferrentur, inter se diuidebāt. Quam ob rem in suspicionem inciderat, ne ijs grauis esset sua in urbem profectio, neu instaurato templo tantis commodis priuarentur. Voluisse tamen Alexandrum Aristobulus tradit, demonstratā à Chaldæis partem declinare, sed propter paludes interiectas consilium sequi non potuisse. itaq; siue uolentem, siue inuitum, Beli oraculo non paruisse. Aliud quiddam huiusmodi scripsit Aristobulus; Apollodorum Amphipolitem

Beli templū.

Apollodorus Amphipolites.

x ami-

amicorum Alexandri ducem in eo exercitu, quem apud Mazæum Babylonis satrapem reliquerat, cum uideret Alexandrum ex Indis reuersurum in satrapas seuerius animaduertentem, quos diuersis regionibus posuerat, Pythagoræ fratri suo scripsisse, (erat enim extorum inspector) deq; salute sua per literas consuluisse. Interrogatum ab eo, cuius potißimum metu id exquireret: rescripsisse, quòd regem atq; Hephæstionē timeret. tum Pythagoram sacrificio facto super Hephæstione, exta inspexisse, cumq; in epate immolatæ hostiæ caput non apparuisset, rescripsisse Apollodoro fratri, literasq; obsignatas certo nuncio ad eum dedisse ex Babylone in Ecbatana, quibus docebat, nihil à se de Hephæstione metuendū, quoniam intra breue tempus è medio secessurus esset. Quam epistolā, ait Aristobulus, Apollodorum accepisse pridie q̃ Hephæstio exiret è uita. Pòst uero sacrificio super Alexandro facto, inspectoq; iecinore, nihilo magis caput hostiæ apparuisse: idemq; fratri de Alexandro quod de Hæphestione prius scripserat, per epistolam significasse. Apollodorum uero hæc Alexandro nunciasse, magis ut eximium quendam amorem erga regem præ se ferret, quàm ut eum periculi admoneret. Quo uehementer laudato, postquàm rex Babylonem ingressus est, percontatus est Pythagoram, quibus

Pythagoras uates.

quibus de signis talia fratri de se scripsisset. Cui ille, quòd hostiæ iecinora sine capite inuenta essent. Eo rursus interrogante, quid nam ea res significaret? magnum malum, respondisse. Tantum uero abfuit ut Pythagoræ ob eam rem Alexander succensuerit, ut eum magis dilexerit: quoniam simpliciter quòd sentiret prædixisset. Hæc Aristobulus tradit sese ex Pythagora audisse, ac postea Perdiccæ atq; Antigono eadem prædixisse, cum itidem exta non respondissent: Perdiccæ, quo tempore aduersus Ptolemæum exercitum duxit: Antigono autem, in prælio quod cum Seleuco ac Lysimacho commisit. Atqui de Calano sophista Indo ita scriptum est, dum moriturus ad pyram incederet, cæteris quidem amicis præter Alexandrum ualedixisse. illum enim se Babylone reperturum, ibiq; uale iussurum. Quæ uerba cum qui aderant, tunc neglectui habuissent, mortuo apud Babylonem Alexandro memoria repetita de Alexandri morte dicta esse compererunt. Eunti Babylonem Alexãdro legationes Græcorũ obuiã uenere. quibus aũt de rebus singulæ legationes eũ adierint, incertũ. At quantũ ego existimo, pleræq; earũ congratulatũ profectæ sunt, propter tot actã ingentes uictorias, et incolumẽ cũ exercitu ex Indis reditũ, quos benigne susceptos domum remisit. Quascunq; uero aut clarorum hominum statuas, aut deorum simulachra,

x 2 siue

ſiue quid aliud eiuſmodi quo exornari celebrariq; memoriam uirorum ſolet, quod Xerxes Babylonē, uel Suſas, ac in Paſargadas, aut quamuis aliam Aſiæ partem ex Græcia deportauerat, eorum omnium reportandorum poteſtatem legatis fecit. Et imprimis æneæ Harmodij & Ariſtogitonis ſtatuæ Athenas relatæ perhibentur, itemq; Dianæ † Cerceæ ſimulachrum. Peruenerat autem & claßis Babylonē, ut eſt ab Ariſtobulo traditum. pars quidem Euphrate flumine è Perſico ſinu ſubuecta, cui Nearchus præerat: pars à Phœnicia terreſtri itinere nauibus ipſis, quò uehi poßēt, in plures partis deſecta. hæ fuere quinqueremes duæ, quadriremes tres, triremes duodecim, aliæq; naues circiter triginta: quæ ita deſectæ, ad Euphratem in Thapſacum urbem è Phœnice deportatæ, ibiq; denuo compactæ, ſecundo flumine Babylonē profectæ ſunt. Alias præterea naues cæſis cupreßis, quæ materia in Aſſyria paßim abundat, parari iuſſerat, remiges ex Porphyræis ac Phœnicibus cæteriſq; maritimæ oræ accolis magno numero accerſierat, portumq; apud Babylonem, qui eſſet mille nauium longarum capax, naualiáq; in eodem portu ædificari curauerat. Miſitq; Micalū Clazomenium cum quingentis talentis in Phœniciam & Syriam, qui uel mercede conduceret, uel coëmeret, quoſcunq; ad rem naualem idoneos reperiret.

† τῆς κελκαίας in Græco legebatur.

iam

iam enim animo meditabatur, in oram sinus Persici atq; insulas propinquas colonias deducere. Ea namque regio sibi haud minus opulenta, quàm Phœnicia esset futura, uidebatur. Tantæ classis apparatum faciebat, ueluti contra Arabes gentem numerosam profecturus: occasionem hanc belli nactus, quòd soli ex omnibus Barbaris earum partium neq; legatos ullos ad se misissent, amicitiam petentes, neq; ullo munere dignati essent. Verumenimuero ueluti ego existimo, magis eum cupiditas dominandi mouit, quæ in summis quibusq; uiris inexplebilis & irrequieta est. Fama autem tenuit, institutæ profectionis causam fuisse, quòd acceperat Arabas duos tantum deos colere, Cœlũ scilicet ac Dionysium: Cœlum, quod astra contineat, tum cætera, tum solem, cunctis rebus humanis manifestò utilem atq; salutarem: Dionysium uero, quoniam exercitum aduersus Indos duxisset. quapropter neq; indignum neq; iniquum existimabat, se apud illos tertium haberi deũ, cum se non inferiora Dionysio fecisse sciret. Dionysij quoq; exemplo ipsos Arabas postquàm uicisset, libertatem concessurus fuerat. Inuitabat eũ præterea regionis opulentia, atq; fœlicitas. audiebat casiam apud illos gigni palustribus locis, ex arboribus myrrham ac thura legi, cinnamum ex arbusculis rescindi, prata sine ullo humano cultu suapte natura nardum gignere.

Arabum duo dii.

Arabiæ aromata.

Magnitudo autem oræ Arabicæ haud minor q̃ Indiæ esse ferebatur: multæq́; insulæ in conspectu sitæ. Esse præterea aiebãt in iisdem locis frequentes portus ac stationes receptui classis idoneas, ac loca condendis urbibus situ peropportuna: duas item insulas contra Euphratis hostia, quarum propiorem ab ipsius amnis marisq́; confinio ad centũ et uiginti stadia distantem. & hanc quidem minorem syluis densam, plurimumq́; incultam: in ea templum Dianæ, circa quod indigenæ habitarent, ceruos et capreas passim errare lucis templo circũiectis, quos occidi præterquàm sacrificij causa nefas sit. Hanc insulam scribit Aristobulus iussisse Alexandrũ Icarum appellari, à nomine Icarus insula.
Icari insulæ in Aegeo mari sitæ. in qua fama est, Icarum Dædali filium liquata alarum cæra cecidisse: quo casu & insulæ & mari appellationem dedit. Altera uero insula à fluminis hostio remota ferebatur, unius diei ac noctis nauigatione, quam † Tylum uo- τύλος
insula. *cant, Icaro maiorem, magnaq́; ex parte cultam atq; frugiferam. Hæc per Archiam Alexandro renunciata sunt: qui ad explorandam nauigationem missus, ad eam insulam nauigauit, non ausus ulteriora petere. Androsthenes quoq; alia naui missus, multum oræ Arabicæ præterlegit. Longissimè autem omniũ*
Hieron. *nauigando processit Hieron ille Solensis gubernator: cui Alexander mandauerat, uti Arabicum Cheronnesum*

ronnesum (ea est peninsula) nauigando lustraret, donec ad Arabicum sinum, qui ad Aegyptum spectat, ubi Heroum urbs *sita est, perueniret. Reuersus magnitudinem illius circumflexus, qui non minor ora* Indorum *esset,* Alexandro *nunciauit. promontorium esse longè in* Oceanum *porrectum, quod & ij qui cũ* Nearcho *ex* India *nauigabant, priusquam in sinum* Persicum *flecterent, ante se uiderant: parumq́; abfuisse, quin eódem traiecerint. nam ita faciundũ* Onesicrito *gubernatori uidebatur. Cæterum* Nearchus *id à se uetitum scribit, ut enauigato per circuitũ sinu* Persico, *posset* Alexandro *ea renunciare pro ueris, quorũ explorandorũ gratia missus esset.* Non enim *ut mare, sed uti oras mari adiacentes agnosceret, & ipsius oræ incolas, eorumq́; mores, stationes, portus, aquas, terrasq́; frugiferas & item incultas atq; asperas edisceret, se missum esse: & eam rem saluti exercitui fuisse, qui seruari non potuisset, si ad* Arabiæ *deserta nauigasset, propter quæ* Hieron *retrocessisse dicitur. Interim uero dũ triremes ædificantur, portusq́; apud* Babylonem *foditur,* Alexander *per* Euphratem *ad amnem* Pollacopam *deuectus est. Abest autem is amnis à* Babylone DCCC *fermè stadia: ex* Euphrate *oritur, non ex fonte. namq; Euphrates ex* Armeniæ *montibus oriens, hyberno tempore imbribus in niues concretis tenuior, intra alueũ sese cohi-*

Heroum urbs

Pollacopas flu.

Euphrates.

bet: uere autem, sed magis cum sol æstate retrogradus fieri cœpit, solutis niuibus ingens exit, ripasq; supergressus Assyriorum campos inundat: totamq; regionem circumiectam obrueret, nisi sese Pollacopam in flumen, deinde in paludes ac stagna exoneraret: quæ usq; in Arabum fines continuatæ, deinde magno spacio per uada, postremò per multos subterraneos meatus in mare funduntur. Resolutis uero niuibus, præsertim circa Vergiliarum occasum, Euphrates minor elabitur, & nihilominus magna pars eius per Pollacopam in lacus deriuatur. nisi autem Pollacopas septus intra alueum coherceretur, usq; adeò exhauriretur omnis aqua, aut Assyriorum campos irrigare non posset. Quapropter eius exitum in Pollacopam obstruere, Babyloniorum satrapæ curæ est: idq; ingenti opere perficitur, licet haud difficulter obstruatur. quoniam terra ipsa limosa, ac plurimum lutosa est: quæ ubi in se fluminis aquam admisit, non facile reflectitur. idq; operis denis hominũ millibus trimestre erat. Quæ Alexandro enarrata, incitauerunt eum, uti aliquid in utilitatem Assyriæ meditaretur. Itaq; qua in Pollacopam deriuabat Euphrates, eius exitum firmius obstruere instituerat. Cumq; ad XXX stadia ulterius progressus esset, solum reperit lapidibus interiectis solidius, quod discissum, & ad antiquam fossam (per quam Pollacopas

copas

copas labebatur) congestū, non fineret facile aquam diffundi, propter terræ ipsius firmitatē: atq; ita sta tis anni tēporibus aquarū cōuersio facilis futura uidebatur. Huius rei maxime gratia Alexāder ulterius per Pollacopam nauibus uectus, nauigando in lacus peruenit, Arabiæ propinquos: ubi placita situs opportunitate, urbem edificauit, atq; eò coloniam deduxit ex Græcis mercenarijs quicunq; aut senectute aut ægritudine aut casu aliquo inualidiores facti, ea loca incolere quàm castra sequi maluerunt. Deinde spretis Chaldæorum monitis, quoniam nihil sibi sini stri contigerat (nam à Babylone diuerterat, ut denunciatum malum euitaret) quasi omne periculum tempus ademisset, fiducia plenus retro per paludes naui gabat, Babylonē à sinistra habēs. Cumq; pars nauiū ignaris gubernatoribus propter paludium multiplices flexus incerta erraret, misso duce qui uiam demonstraret, totam classem continuo reduxit. Ferunt circa eas paludes ac lacus esse complura regum Assyriorum sepulchra: cumq; nauigando pergeret (ipse enim ut fertur triremem qua uehebatur, forte tū regebat) obortum ualidiorem uentum ornatum capitis ac diadema ei abstulisse: diadema uento raptum harundini, quæ forte monumento cuidam ueterum illorum regum innata erat, hæsisse: capitis ornamentū haud procul ab eo (erat enim ponderosius) in aquā Alexandri mortis futuræ prodigia

concidisse, idq; futuri casus triste prodigium habitū. Ad hæc aliud tristius accessit. nam cū nauta quidam strenuus sese in paludem coniecisset, receptum diadema, ne manu gestans aqua perfunderet, capiti suo impositum, ad Alexandrum reportauit. Pleriq; eorum qui res Alexandri scripserunt, talento ob eam rem donatum scribunt: deinde accepto præmio, capite puniri iussum: Chaldæis uatibus haud negligendum monentibus, quod tam temerè diadema regium induisset. Aristobulus autem (cui magis crediderim) refert, illum talentum, deinde plagas accepisse, quod iniuriam diademati fecisset, eumq; Phœnicē fuisse.

Seleucus. Sunt & qui asserant, Seleucum hunc fuisse: idq; factum significasse & Alexandro interitum, & ipsi Seleuco magnum mox euenturum imperium. Illum enim inter eos qui Alexandro successerunt, ingentē tum imperio tum animo tum opibus regem fuisse, cæterosq; superasse. Reuersus Babylonem Alexander Peucestam cū Persis circiter XX millibus è Perside regressum reperit: magnam quoq; Tapurorum & Cossæorum manū adduxerat. Venerat item Philoxenus ex Caria, cum eius gentis quàmplurimis. Menander quoq; ex Lydia, Lydos complures aduexerat. Accesserat & Menidas, cū copijs sibi attributis. Inter hæc aduenerunt Græciæ legati, ijq; ipsi coronati, & congratulantes aureis coronis Alexandrum

coro-

coronauere. Ab eo tamen haud procul certè mors abe rat. Tum Persis collaudatis, quòd Peucestæ paruissent, & item Peucesta, quòd eos moderatè sapienterq; gubernasset, ipsos in Macedonicos ordines redegit omnes, ita tamen, ut decurio Macedo esset, itẽq; semidecurio, ita à mercede quam capiebat appellatus: quæ quidem minor erat quàm decurionis, maior autem quàm cæterorum qui sine honore militabant. Secundum hos XII Persæ, ultimus uero decurio Macedo esset, & huic X stateræ stipendium esset. Quapropter contingebat in singulis quibusq; decurijs Macedones quatuor inesse, è quibus tres plus mercedis capiebant. quartus decuriæ princeps erat. Per sæ uero XII erant. Macedones patrijs armis instructi ibant, Persæ uero alij sagittis, alij quidem amentatis iaculis utebantur. Interim Alexander crebro classem ad remũ exercebat: triremes cũ quadriremibus celeritate certabãt, coronabanturq; uictores tã remiges q̃ ipsi nauiũ gubernatores. Per eosdem dies uenerunt & ab Ammone, quos sciscitatũ miserat, quos honores sibi esset fas Hephæstioni mortuo tribuere: hiq; renunciauerunt, tanq̃ heroi sacrificari fas esse, ita Ammoni placere. Quo oraculo lætatus, posthac illũ tanq̃ heroa coli iussit, eiq; congrua sacrificia instituit. Post hæc Cleomeni, improbo uiro, qui multis contumelijs Aegyptios affecerat, epistolam scripsit.

Hephæstion heros.

Cleomenes.

Quam

Quam quidem quoad memoriam beneuolentiæ, qua defunctum Hephæstionem prosequebatur, haud reprehenderim: sed multarum aliarum causa reprehensione non carere existimauerim. Iubebat per epistolã, & in urbe Alexandria, & in Pharo insula: in qua turris erat tũ magnitudine tum opere excellens, templa Hephæstioni ædificari, & ipsam Pharũ ab eiusdem Hephæstionis nomine appellari. ad hæc tabelliones tabulis, quas inter contrahentes conficerent, Hephæstionis nomen inscribere. Quæ quidem hactenus reprehendo, quòd in rebus haud magnis plus nimio occupatus uidebatur. Illud autem ualde reprehendendum duxerim, Si enim (inquit, ad eundem Cleomenem scribens) in Aegyptũ ueniens ego, templa Hephæstioni ueluti heroi tua opera instructa inuenero, non solum ueterum delictorũ, sed etiam omnium quæ postea commiseris, tibi gratiam fecero. Hoc ab amplißimo rege scriptum esse homini multis populis imperanti, præsertim malo, non improbare non possum. Sed iam Alexandri exitus appropinquabat: quem ex huiusmodi re maximè & significatum & præmonstratum, Aristobulus scribit. Nam cum copias, quæ cum Peucesta præside Philoxeno ac Meandro uenerant, in Macedonicos ordines (ut paulo antè diximus) diuideret, siti affectus, cum è solio surgens paulum inde conceßisset, interim obscu-

Alexãdri ad Cleomenem epistola.

rus quidam homo (sunt qui dicant captiuum fuisse) cum regiam sellam rege uacuam animaduerteret, per medios eunuchos sellæ circumfusos (nam amici regẽ secuti fuerant) in eam sessum se contulit. Quod ubi circunstantes conspicati sunt, cum non auderent eum sella detrahere, lege Persarum inhibente, præ dolore ueluti in ingenti infortunio, cum id in sinistram partem acciperẽt, ora pectoraq; unguibus fœdare cœperunt. Quod ubi Alexandro renunciatum est, continuo inde abstractum, in quæstionem dari iussit, ut sciret an cuiuspiam consilio tantum facinus perpetrasset. De nemine confessus, leuitate quadam cõpulsum, se id fecisse respondit. Quapropter uates, multò magis timendũ esse, id interpretati sunt. Paucisq; diebus interiectis, cũ dijs pro consuetudine sua sacrificasset, pro tãtis uictorijs gratias agẽs, aliqua et noua sacrificia ex uatũ monitu instituisset, cũ amicis epulatus est, conuiuiumq; ad multã noctem produxit. Fertur etiam, per decurias ac centurias in sacris exercitui uinum exhibuisse. Sunt qui scribant, uoluisse eum è conuiuio in cubiculum abire: sed † Midium unum ex amicis, tunc maximè ei acceptum, rogasse, uti apud se maneret, esse quod eum maximè delectaret. Regis uero diurnorum actorum libri hoc habẽt, cum perseuerasset aliquantum in spectandis apud Midium ludis, potasse, deinde lotum edormisse: ac

Alexandri mortis prodigium.

μήδιον.

Regiæ ἐφημερίδες.

rursus

rursus apud eundem Midiũ cœnasse, atq; iterum ad multã noctẽ bibisse: mox à potu digressum, rursusq;
Alexandri ægrotatio. *lotũ, parũ quid mandisse, ibiq; (iã enim in febrim inciderat) cubuisse: deinde lectica delatũ, uti constituerat, sacrificasse. Inter hæc iter copiarũ ducibus pronunciasse: & eos quidem qui terra profecturi essent, quarto pòst die: qui uero secũ nauigaturi, quinto die paratos esse iußisse. Post hæc lectica delatũ, nauimq; ingressum flumen traiecisse, et in amœnißimos hortulos se contulisse, ibiq; denuo lotũ requieuisse. Postri die quoq; denuo lotũ, consueta dijs sacra fecisse: ingressumq; cubiculũ, cũ Midio colloquentẽ, imperasse ducibus, uti mane adessent: deinde cœnasse modicè quidẽ ac sobriè, in cubiculum regressum, rursus febri correptũ, totamq; noctem elanguisse. Sequenti die lotum denuo sacrificasse, nauigatione (quæ tertio die futura erat) Nearcho ac cæteris ducibus iterũ denunciata. Alteroq; die lotum, pro salute sua sacrificasse. nec tamen iccirco febri leuatũ. Postero die cũ ingrauescere uis morbi cœpisset, itidem sacra fecisse: seq; transferri domũ, quæ erat balneis uicina, iußisse. nec postero ac sequenti die sacrificare destitisse. Deniq; cum laboraret febri, angereturq; uehementius, copiarum duces in regiam accersisse. Cæterorum ordinũ principibus ante fores consistere iußis. Nouisse quidem ingredientes ad sese, sed eos nominatim compellare*

lare nequiuisse, coarctatis iam uocis meatibus: coq; biduo ægerrimè se habuisse. Hæc ex regis diurnis commentarijs. Cum uero milites partim mortuum suspicarentur, mortemq; celari crederent, partim eius desiderium ferre non possent, mœsti sese in regiã intulerunt, ut sibi regis uidendi copia fieret orantes. hiq; à custodibus admißi sunt: sed iam uox regem defecerat. Itaq; quod unum poterat, erecto paulum capite adeuntes inspectans, singulis dexteram præbuit. Iisdem diurnis actis continetur, in Serapionis phano peruigilasse Pithonem, Attalum, Demophoontã, Peucestã, Cleomenẽ, Menidã, ac Seleucũ, percontatosq; deum, an melius foret Alexandrũ in templũ suũ, ut à se curaretur, deferri: editãq; uocẽ, Nõ oportere. nã ibi permanentẽ, habiturũ melius. idq; Alexãdro per amicos pro optimo renunciatum. Cæterũ illum paulopòst, tanq̃ id sibi melius fuerit, decessisse. Hæc Ptolemæus & Aristobulus de Alexandri morte scripsere. Quidã ad hæc adijciunt, cũ amici ex eo moriente quærerent, cui nam ex ducibus regnum relinqueret: respõdisse, Præstantiori. Idq; à se ita ambiguè prolatum, quasi ingẽs certamen de regni possessione mox inter illos oriturũ præsagiret. ex quo existimabat maius ac diuturnũ desiderũ sui, apud milites fore. Neq; uero me præterit, multa alia præter hæc de Alexandro scripta esse, & inter cætera, q. ex ueneno

Alexandri mors, deq; ea diuersæ opiniones.

misso

misso ab Antipatro perierit, cuius ueneni inuentor Aristoteles fuisset, propter Callisthenis necem Alexandrum metuens. Idq; à *Cassandro Antipatri filio (ut quidam putant) muli ungula (nam aliter ferri non poterat) allatum, per Iollam minorem Cassandri fratrē regi traditum.* Nec desunt qui scribāt, Midium, quòd amator Iollæ esset, *eiusdem sceleris conscium ac participem fuisse: ob eamq; causam* Alexandrū *ea nocte per ludum detinuisse. nam post haustum poculum, intolerabiles dolores regi subito exortos. Sunt etiam quos scribere nequaquam puduerit*, Alexandrum *cū iam de salute desperaret, uoluisse sese clam suis in* Euphratem *conijcere, uti sublatus ex hominum oculis, certiorem apud posteros fidem faceret, se ex deorum genere ortū, ad deos abijsse. Sed à* Rhoxane *uxore, quæ consilium eius intellexisset, cum uellet exire, inhibitū, questumq; exclamasse, inuidere illam sibi diuinæ originis suæ gloriam.* Quæ *iccirco magis attigi, ne ea ignorasse uidear, quàm quòd uera aut uerisimilia esse existimem.* Deceßit *autem* Alexander CXIIII Olympiade, Hegesia *Athenis summum magistratum gerente.* Vixit *duobus & XXX annis, mensibusq; octo, quemadmodum* Aristobulus *tradidit.* Annis *uero* XII *regnauit, ac mensibus illis octo. Statura corporis decora fuit, laborum patientißimus, in agendo strenuus, animo ingenti, gloriæ studio-*

Alexander quando mortuus.

studiosissimus, circa uoluptates corporis moderatus, rerũ diuinarũ ac ceremoniarũ cultor, consilio bonus, in coniecturando solers: ad hæc sapienter exercitus ducere, copias armare, acies instruere, milites et oratione excitare & (ubi opus esset) communicato periculo labantes confirmare, impigrè omnia obire, præuenire hostium consilia, promissa seruare, pecuniam contemnere, liberalitate in suos uti. Siquid autẽ fortasse uisus est aut insolẽs aut crudele perpetrasse, id sanè haud multum in eo notandum censuerim, si florentem adhuc ætatem, si continuatos prosperarũ rerum cursus, si adulatores (qui reges à uero, rectoq; distrahere conantur) animaduertamus. Sed illud satis scio: nullum unquam antiquorum regum in tantã post peccatum pœnitentiam uenisse. Pleriq; enim quamuis se deliquisse sciant, id tamẽ tanquam rectè factum pertinaciter defendunt, culpam suam per hũc modum celatum iri existimantes. Qui mihi quidem magno errore teneri uidentur. Summa etenim medicina peccati est (quantum ego existimo) & peccatũ confiteri suũ, & eiusdem pœnitentiam præ se ferre. nam qui iniuriam accipit, illam haud dubiè aliquanto leuius perfert, si eum qui intulit, & fateri se deliquisse, & iniuriæ pœnitere animaduertat. Ad hæc, qui uiolat alterum, si dolere se facto doceat, bonam spem cæteris præstat, se posthac nihil admissurũ tale. Nã

Alexandri pœnitentia.

quòd Alexander originem suam in Iouem referebat, non maximè reprehendendum censuerim. neq; enim is mihi minus clarus atq; inclytus aut uirtute, aut rebus gestis, aut gloria fuisse uidetur, quàm Minos, quàm Aeacus, quàm Rhadamanthus: qui genus suum & ipsi in Iouem referentes, haud tamen ab antiquis improbati sunt. Nec uero aut Theseus, aut Apollo carpitur, quod ille sibi Neptunnum patrem, hic Iouem finxerit. Verũ & Persicus habitus arte quadã à rege mihi sumptus uidetur, ne à Barbarorũ moribus omnino alienus uideretur, atq; ut contra Macedonũ iracundiã fræni aliquid haberet. Quamobrem is mihi uidetur Macedonũ ordinibus Persas melophoros inseruisse: equitibus uero, † qui pari cũ ijs honore essent. Longas aũt potationes nõ iccirco ab eo constitui

τοὺς ὁμοτίμους.

solitas Aristobulus scribit, quod esset uini auidus (neque enim multus erat in potu) sed magis ut amicos delectaret. Quisquis igitur Alexandrum uituperare nititur, ne ea solũ cogitet quæ uituperatione digna censentur, sed omnia eius bona malaq; unum in locũ congerat. Consideret, quis fuerit, quali fortuna usus, in quantam gloriam euectus sit: qui sine controuersia Asiæ atq; Europæ præfuerit, cuius nomen in omnem terrarum orbem peruaserit: cogitet præ ijs quæ laudantur, minima esse quæ in eo uituperentur: tum facile iudicabit, in tanta uirtute atq; fortuna, ea

uitia

uitia facile tolerari posse, quæ & ipse post factũ (ueluti maiestati suæ indecora) detestatus sit. Quod autem ad deorum originem, quam sibi ipse asserebat, attinet, is mihi quidẽ nõ sine summo quodam ac diuino consilio & genitus & natus uidetur, quem mortalium nemo adhuc aut fortuna aut factis æquare potuerit. quod & diuina oracula in eius morte significasse uidẽtur, & species uigilantibus atq; in somnijs uisæ, honoresq; propè diuini eidem decreti, tum alia post tantum temporis spacium Macedonum genti illius honori hactenus exhibita. Quapropter licet in huius historiæ contextu nonnulla illius facta reprehenderim, eundem tamen admirari me haudquaquam piguerit. Ea tamen tum ut sententiam meam proferrem, tum communis utilitatis causa reprehendi: cuius rei gratia & ego non absq; diuino quodam instinctu, ad hanc historiam scribendam me contuli.

ARRIANI NICOMEDENSIS de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum, Liber Octauus.

Videtur hic liber seorsim ab Arriano de Indicarum rerum tractatione scriptus esse, neq; ad præcedentiū alioqui seriem pertinere. Eius autem supra libro 6 pagina 227 meminit.



EGIONES, quæ cis Indum flumen sitæ sunt aduersus occidentē, Cophenum amnem Astaceni atq; Assaceni Indicæ gentes incolunt. Hi uero haud tam magna corporū statura sunt, quàm qui trans Indum habitant: neq; eo præterea robore, ac nigredine corporum, ut cæteræ Indorum gentes. Et hi quidem diu sub Assyriorum ac Medorum regno fuere. Adempto autem Medis imperio, Persis parebant: tributa Cyro pendebant, Cambysæ filio, quanta ijs Cyrus ipse taxauerat. Nyssæi uero Indi non sunt: sed ex eo Græcorum genere, quos Dionysius in Indorum fines expeditione illa orientali secum duxit, urbe Nyssa à se condita: eoq; deductis, qui uel ætate, uel morbo, uel belli casibus militare non possent: & item ex indigenis, qui se sua uoluntate in eam contulerūt, urbem Nyssam, regionem

Astaceni.
Assaceni.
Nyssæi.
Nyssa.

nem Nyssæam appellari uoluit. montem uero, in quo sita est, Fœmur: ex eo quod sibi accidit protinus cum esset natus, ut traditum est in fabulis, utq; sunt uates tam Græci quàm Barbari docti ista confingere. In Assacenis est † Massaca, ac Peucela, procul ab Indo. Hanc regionem ab exteriori Indi fluminis parte, occidentem uersus, usq; ad Cophenum, Assaceni tenent. ab Indo ad orientem quicquid terrarum interiacet, India occupat, iiq; populi qui eas regiones incolunt, Indi uocantur. Terminatur India à septentrione Tauro monte, regioq; adiacens Taurus appellatur. incipit Taurus à mari circa Pamphiliam, Lyciam, et Ciliciam: tenditq; perpetuo dorso ad orientalem Oceanum, totamq; Asiam interfecans, alibi aliud nomen recipit. Nam quibusdam in locis Paropamisus, in alijs Hemodus, alibi † Imaon appellatur, & alijs etiã alibi fortasse nominibus. Macedones & Græci, qui cũ Alexandro militauerunt, hunc Caucasum nominauere: cum quidem Caucasus Scythiæ mons sit, & alius à Tauro. Ex quo pertinax fama tenuit, Alexandrum trans Caucasum cum exercitu profectum. Indus amnis, quà ad Occasum spectat (ut diximus) Indiã alluit: iiq; per duo hostia nõ ita inter se propinqua, ut quinque illa Danubij, sed instar Nili paulò remotiora, in Oceanum exit. à quibus Delta Græcum non minus Aegyptio, quod Nilus suo flexu facit, efficitur, quod

Fœmur seu μηρὸς, mons.

Μάσσακα.

Indiæ limites.

Taurus.

Ἤμαον.

Indus flu.

Delta Indiæ, Patala.

Indorum lingua Patala appellatur. At quà ad austrũ & meridiem uergit, Oceano clauditur. Hæc Indi hostia, Patalamq́;, & quæ in meridiem spectant, Alexander & Macedones, & pleriq; Græcorum uiderunt. Quæ uero ad orientem sita, ultra Hyphasim amnē, ea nec Alexander, nec suorum quisquam adijt: & pauci quidem scripserunt, quæ usq; ad Gangem gentes aut oppida sint, ubi Gangis ipsius hostia, ubi Palimbothra urbs ad Gangem, Indorum maxima. Apud me uero Eratosthenes Cyreneus grauis autor plus ualet, qui de situ & circuitu Indiæ diligentius quàm cæteri, uidetur scripsisse. Is tradit, Indiam à Tauro monte, ex quo Indus oritur, quà ad orientem uergit, usq; ad Oceanum stadia XIII millia patêre: quà uero ad orientem spectat, hoc est à contraria montis parte, stadijs XVI millibus. Longius est aliquanto id latus propter promontorium, ad tria millia stadiorum in mare excurrens. hanc esse Indiæ latitudinem ait. Longitudinem uero, ab occidente in orientem usq; ad Palimbothra, dicit se finibus suis dimensam scribere. esse uiā quandā, quæ regia appellatur: hanc ad dena millia stadiorum comprehendere, ulteriora nō ita certa esse. At qui communem Indorum opinionē secuti sunt, latitudinem eius regionis cum promontorio, quod in mare protendi diximus, X stadiorum

Indiæ situs et magnitudo.

diorum millia continere tradunt: atq; ita Indiæ longitudinem uicena maximè millia stadiorũ esse. Cnidius aũt Ctesias affirmat, Indiam reliquæ Asiæ æqualẽ esse: non ut Onesicritus, qui eã tertiã partẽ eiusdẽ Asiæ perhibet. Nearchus quatuor mensiũ iter per Indorũ plana esse asserit. At Megasthenes Indiæ spaciũ, quod ab oriente in occidentẽ pertinet, quod alij longitudinem esse uolunt, latitudinem esse dicit: atq; ubi angustissimum, XVI millium stadiorum esse. à septentrione uero in meridiẽ, quà magis extenditur, longitudinẽ esse: camq;, ubi breuissima, trecenta stadia supra duo et XX millia capere. Flumina tot sunt in India, quot in reliqua Asia: quorum omnium maxima, Ganges atq; Indus, à quo omnis illa regio nomen accepit: ambo utiq; maiora quàm Nilus uel Danubius, etiam si utrunq; coniunxeris. Quin etiam maior mihi uidetur Acesines Danubio ac Nilo, ubi Hydaspe, Hydraote atq; Hyphasi in se receptis, Indum influit. ibi eius latitudo XXX maximè stadia complectitur. Fortassis etiam alij ampliores amnes nobis ignoti, Indorum terras secant. Sed hæc nobis haud satis explorata sunt, ut affirmare possim quicquam de his, quæ ultra Hyphasim sita sunt. Horum autem duorum fluminum, Gangis atque Indi, Gangem multo ampliorem Megasthenes scribit, & alij quicunque de eo flumine Gangis descriptio.

scribentes mentionẽ fecere. Nam & grandis ex fontibus oritur, & excipit Cainam, Errhanoboam, & Cossoanum, ad hæc Sonum, Sittocatim, Solomatim, omnis nauigabiles. Adhæc itẽ Condochatim, Sambũ, Magona, Agoranim, atq; Omalim amnes. Influunt quoq; & Cõmenases ingens fluuius, ac Cacuthis, ac

Madiadini. *Andomatis ex Madiadinorum gente Indica exiens: ac præter hos Amystis, iuxta urbem Catadupen: &*

Mathæ. *Oxymagis apud Pasalas: & Erineses apud Mathas, gentem & ipsam Indicam. Horum nullum Megasthenes minorem Mæandro esse, quà maximè nauigabilis est, asserit. Patet autem Ganges, quà maximè angustus, ad centũ stadia. In multis uero locis in modum stagni usq; adeò diffunditur, ut quà terra depressior, nec tumulus usquam apparet, trans alteram ripam nihil oculis discerni queat.*

Indus. *Indum uero hi amnes incurrunt, Hydraotes quidem in Cambistolis, postq; receptis & Hyphasi ex Astrobis, & Sarangi ex Cecris, ac Eudro ex Assacenis, Acesinem intrant.*

Hydaspes. *Hydaspes apud Oxydracas unà cum Sinaro, quem*

Acesines. *apud Arispas in se admittit, & ipse Acesinem influit.*

Tutapus. *Acesines apud Mallos in Indum excurrit. Tutapus quoq; grandis fluuius, in Acesinem se ingerit: quibus amnibus Acesines grandior factus, eorum appellatio*

Cophenus. *nibus extinctis, Indum ingreditur. Cophenus apud Peucelaitidas, Malamanto, Soasto, ac Garæa in se receptis,*

ceptis, & ipse se Indo miscet. Itemq; Saparnus ac Ptarenus, non multum inter se distantes. Soamus quoq;, ex montanis † Sabisareorum, nullo alio fluuio in se recepto. Hiq; omnes (ut traditum est à Megasthene) ut plurimũ nauigabiles sunt. Non igitur pro uanis *aut incredibilibus haberi oportet, quæ de Indi & Gangis magnitudine à rerum scriptoribus tradita sunt, quòd ab his* Nilus & Danubius *longè superentur.* Namq; *in* Nilum *nullum flumen illabi scimus, sed ex ipso riuos ac fossas per* Aegyptum *deduci:* Danubius *uerò paruus, quà è fonte exit: cæterum multa flumina in se admittit, sed neq; numero neq; magnitudine* Indicis *omnibus æqualia, quæ in Indũ Gangemq; se ingerunt, quorum admodum pauca nauigationem recipiunt.* Ex quibus Henum *uidi, ac* Salum: Henus *in confinio* Noricorum *ac †* Rethiorum, *ipsi* Danubio *se immiscet:* Salus *uero, apud* Pæonas. Is *uero locus ubi hæc duo flumina confunduntur,* Taurunus *uocatur. Si quis uero præter hos duos amnes, adhuc forte aliquem qui in* Danubium *exeat nauigabilem sciat, non multos tamen certe nominabit. Magnitudinis uero causam horũ* Indiæ *fluminũ proferat alius, quisquis uelit: aut ex alio quærat. Mihi uero satis sit, quæ de his accepi, attigisse. namq; & aliorũ complurium fluminum nomina* Megasthenes *commemorat, quæ ab* Indo & Gange *separata, in orientalem*

Marginal notes: τῆς σαβίσα ῥέων. — Nilus. Danubius. — ῥαιτῶν. — Taurunus.

talem ac meridionalem Oceanũ exeunt, octo supra quinquaginta esse nauium patientia. Sed nec ipse Megasthenes mihi uidetur multum Indiæ peragrasse, plus tamen certe quàm illi qui cum Alexandro militauerunt. Fuisse enim se dicit cum Sandrocotto, maximo Indorum rege: & cum Poro, qui uel Sandracotto maior ac potentior fuit. Scribit igitur is neq; Indos aduersus ullã gentem, neq; alios aduersus se exercitum duxisse. nam Sesostrim Aegyptiũ, qui maiorem Asiæ partem occupauit, cumusq; in Europam cum exercitu processisset, ulterius progredi destitisse. Indathyrsum Scytham cum magnis copijs è Scythia egressum, multis Asiæ gentibus debellatis Aegyptũ uincendo peragrasse. Semiramim Assyriã conatã quidem Indos inuadere, sed antequàm finẽ consilijs imponeret, decessisse. Alexandrũ autem unũ ex omnibus in Indos cum exercitu profectum esse. Constans quoq; fama est, Dionysiũ ante Alexandrũ Indos cũ exercitu petijsse, ac deuicisse. De Hercule aũt fama infirmior. Expeditionis Dionysij Nysa urbs nõ obscurũ monimentũ est, monsq; quẽ Fœmur uocant: ipsaq; hedera, quæ passim in eo monte nascitur: tympana præterea, ac cymbala, quibus in prælijs Nysæi utuntur: itemq; uestis distincta maculis, ueluti Dionysio sacra facientiũ. Herculis uero non ita multa monimenta in his locis uisuntur. Sed quòd petram

Sesostris. Indathyrsus. Semiramis. Bacchus. Alexander. Hercules. μηρὸς.

tram illã, de qua prioribus libris scripsimus, quã Aornum uocant, expugnare non potuisse dicatur, quæ ab Alexandro capta est, Macedonicæ cuiusdã iactantiæ mihi uidetur esse: quemadmodũ & montẽ, qui Paropamisus est, nihil ad Caucasum pertinẽs, Macedones ijdem Caucasum nominauere. Antrũ quoq;, quod in Paropamiso esse acceperãt, illud esse dixerũt, in quo Prometheus ob surreptum dijs ignẽ, diuisumq; mortalibus, relegatus pœnas daret. Et quia †Sibesios gentem Indicã pellibus amictos conspexerũt, aiebant ab Hercule relictos. nã et clauã ferũt, et bobus illã inurũt: qua claua Hercules uti cõsuesset. Sed si cui hæc uerisimilia uidentur, alius utiq; fuit hic Hercules, q̃ aut Thebanus, aut Tyrius, aut Aegyptius: isq; haud procul ab Indis regnãs. Mihi uero ne plura de hac re dicam, non omnia pro ueris recipienda uidentur, quæcunq; de his quæ ultra Hyphasim sunt, externi rerũ scriptores tradiderunt. Nã de his quæ ad Hyphasim pertinẽt, nõ usquequaq; incredibilia existimauerim, quæ scripsere hi qui Alexandrũ secuti sunt. nã et hoc quod sequitur, ait Megasthenes de flumine quodã Indico (Silã appellant) oriri ex fonte eiusdẽ nominis, ac per Sileorũ fines illabi, qui à flumine nomẽ acceperũt. eius aquas eã uim habere, ut nihil omnino sustinere poßit, nec naues, nec quicq̃ aliud pati: sed omnia profũdo mergi. maximè uero æstiuis tẽporibus apud

Macedonum de Alexandrõ gestis iactantia.

ἐς σιβαιοιυς.

Sila flu.

Indos generantur pluuiæ in montibus, præsertim Paropamiso, Hemodo, & Himaco: è quibus magna ac turbulenta flumina exoriuntur. Cadūt etiam imbres in plana Indorū, ex quo plerisq; in locis stagna fiūt. Coēgitq; Acesines aliquando media æstate superato alueo, campisq; inundatis, Alexandri exercitū propere locum mutare. Ex quibus licet Nili naturā coniectare, quodq; uerisimile est, ex pluuijs, quæ per æstatem in Aethiopum montibus gignuntur, augeri, turbidumq; limo ripas excedere, & in Aegyptum diffundi, qualis ea parte anni effluit, non ueluti ex niue dissoluta. neq; enim æstiuis temporibus, flantibus maxime Etesijs, refunderetur amnis: cum quidē & alia Aethiopiæ montana, ob magnos regionis & solis ardores niuosa non sint. Pati autem pluuias ea loca, quemadmodū & Indiæ montana, non esse præter rationem dixerim. nam & quoad cætera India haud dissimilis Aethiopiæ est, & Indici amnes, sicuti Nilus, qui est Aethiopicus atq; Aegyptius, crocodilos ac pisces eosdem (præter equum fluuiatilem) ferunt. quanquam Onesicritus, & id genus piscium ibidem gigni asserit. Hominum quoq; Indorum atq; Aethiopum corpora non multum differunt. nanq; Indi, qui magis ad meridiem accedunt, Aethiopibus similiores uidentur. sunt quidem nigro ore, nigráq; coma: sed non æquè simi, aut capillo crispo. Qui uero ad septen-

Nili natura.

India quatenus Aethiopiæ similis.

septentrionem magis accedunt, maximè concolores Aegyptijs sunt. Omnino autem (ut ait Megasthenes) Indicæ gentes centum ac duæ & uiginti sunt. Ego uero multas esse Indiæ gentes, cum Megasthene consenserim. unde autem didicerit, hunc esse certum ac definitum numerum, coniectura consequi nequeo: cũ nec magnam partem Indiæ peragrauerit, nec sit Indis commercium inter se omnibus. Antiquitus Indi pastores fuere, quemadmodum & Scythæ, qui neq; agriculturæ student, neq; urbes incolunt, neq; templa dijs extruũt, sed plaustris errabundi in alia atq; alia loca pro tempore commeant: pellibus ferarum, quas uenando occiderant, amicti, arborum folijs pascebantur. Tala id genus arbores uocant: circa summitates pingue quiddam in palmarum modum gignunt. Carnes quoq; ferarum ijs cibus erant, & eæ crudæ, antequam Dionysius in fines Indorum profectus sit. Postquàm uero Dionysius Indos uicit, urbes condidit, leges quibus uterentur tulit, uiniq; usum (quemadmodum & Græcis) ijs dedit, ad hæc terram seri docuit, seminibus collatis: siue quòd Tripolemus Indiam attigerit, cum à Cerere missus est ad distribuenda mortalibus frumẽti semina: siue ante Tripolemum Dionysius quispiam in Indiam profectus, Indis frugum semina exhibuerit. Primus omnium Dionysius boues iuga ferre et arare docuit, saltationem induxit,

Indiæ gentes.

Scythæ.

Tala.

Bacchi inuenta.

Cordaca saltatio. duxit. quæ apud Græcos Cordaca appellatur. Ad hæc comam producere, mitram gerere, unguentis uti ostendit. utiq; usq; ad Alexandri in ea loca aduentū, Indi cum cymbalis tympanisq; in pugnam ibant. Dif cedēs ex India Dionysius, regē Indis constituit Spartembam, unum ex amicis, sacrorum & ceremoniarū peritum. Quo mortuo, ad Bondyam eius filium regnum transijt. Et Spartembas quidem duos et quinquaginta annos regnauit, Bondyas non plus XX. post cuius mortem, Cradeuas filius regnum accepit. Et exinde multo pòst tempore regnū filijs per manus traditum. Si uero non erant regibus liberi, qui succederēt, tū unū aliquē inter se uirtute præstantē, à quo regerentur, deligebant. Hercules aūt, quem ad Indos iuisse uulgatum est, ab Indis dicitur indigena fuisse. et hic Hercules maximè apud Surasenos gentē Indicā colitur. Duas urbes magnas habent, Methorā uidelicet, & Clisoboram, ad Iobarem amnem nauigabilem. Ornatū aūt corporis, quo utebatur hic Hercules, Megasthenes scribit fuisse illi similē, quo Thebanus Hercules uti solebat. quod et Indi affirmant, eiq; multos fuisse filios uirilis sexus. multas enim uxores habuisse, filiā uero unicā, nomine Pandæam. Terram quoq; in qua nata est, quam Hercules ei tradidit, de nomine eius Pandæam appellatam: datos insuper

Spartembas.

Bondyas.

Cradeuas.

Hercules.

Pandæa Herculis filia.

ei

ri elephantos quingentos, equites ad IIII M, pedites circiter CXXXX millia. Hoc quoq; aliæ Indorũ gentes de ipso Hercule affirmant, quod cum totam Indi peragrasset, purgassetq; eam omni uitio, in mari reperit margaritam, quales qui lucri causa merces inde deferunt, multo precio comparare solent. Sed & ex Græcis olim, & Romanis hoc tempore, quicunq; diuites & beati putantur, maiore studio margaritã (ita enim Indorum lingua appellatur) undiq; conquirunt, & immensis precijs comparant. Hercules eius pulchritudinem admiratus, quas filiæ dono daret indagari iußit. Ait idem Megasthenes, conchas, in quibus margaritæ & uniones gignuntur, retibus capi, gregatimq; multas ueluti apes depasci, regẽq; suum habere: ac si contingat regem comprehendi à piscatoribus, eas protinus circumfundi, nec uim effugere, fugiente rege & ipsas effugere. Earum carnes Indos corrumpi sinere, osse ad ornatum uti. Esse autem uniones apud Indos, ter tanto auri pondere æstimatos. In eadem India aurifodinas extare. Ad hæc in ijs regionibus, quas Herculis filia regno tenuit, fœminas ubi ad septimum ætatis annum peruenerunt, uiro maturas censeri, ac nubere: uiros quadraginta annos summum uiuere. Vulgatamq; fabulam huiusmodi apud Indos, Herculem, cum senex hanc filiam ex uxore suscepisset, ac uitæ suæ

Margaritæ.

Margaritarũ conchæ.

Vniones.

suæ finem iam adesse suspicaretur. nec haberet uirũ dignum se socero, cui illam collocaret: cum filia septẽ annorum coijsse, uti ex se soboles Indorum *regibus procreandis restaret.* Hunc *honorem* Indis, *quibus* Pandæa *imperauit, ab* Hercule *habitum.* Mihi *autem uidentur hæc uel ex eo haud uerisimilia esse: si* Hercules *adhuc generare liberos poterat, iudicandum est, et ipsum fuisse uitæ longioris. Sed si ea certa sunt quæ de puellarum ætate memorantur, non dissentire ab ijs uidentur, quæ de uirorum ætate tradita sunt, quòd non ultra quadragesimum annum uiuant. quorũ enim senectus maior est, horũ & mors (quæ cũ senectute aduenit) maturior, eorumq; uirilitas secundum finem citius efflorescat necesse est. hac ratione* XXX *annos nati, apud illos in uiridi senectute essent. qui* XX, *hi extra adolescentiam: qui uero* XV, *hi adolescentes haberentur: fœminis quoq; eadem ratione septimus annus fœturæ habilis uideretur.* In *eadem regione terræ fructus citius maturescere, idẽ* Megasthenes *scribit.* A Dionysio *ad* Androcotum *reges* C *&* LIII Indi *numerant: annos uero duos &* XL *supra sexies mille: ex quibus omnibus sæculis ab initio* CCC *annos, iterum* C *&* XX, *liberi suis legibus uixere.* Fuisse *uero* Dionysium *prius quàm* Herculem *dicunt,* XV *sæculis, nullumq; alium belli inferendi causa fines suos ingressum: nec* Cyrũ Cambysæ *filium*

Indorum ætas.

Indiæ reges a Dionysio.

filium, quamuis aduersus Scythas exercitum duxerit, & (quod ad alia spectat) præter cæteros Asiæ reges multa & magna gesserit. Alexandrum uero intrasse, omnesq; gentes armis subegisse, ad quas peruenerit, ac cæteros superaturū fuisse, nisi exercitus progredi ulterius recusasset. Cæterum Indorum neminem cum exercitu, cupiditate imperandi, Indiæ finibus (ne iniusti uiderentur) egressum. Hæc quoq; de Indis: non condere Indos sepulchra mortuis: uirorū uirtutes ac laudes, quæ de ijs cantantur, satis ualere existimare ad hominum memoriam conseruandam. Indicarum numerus urbium (adeò multæ sunt) nulli compertus est. quæcunq; autem apud amnes, aut iuxta mare sitæ sunt, ex materia ædificatæ: neq; enim possent longo tempore durare, si ex crudo latere fierent, propter imbres: simul quia amnes, ubi ripas excedunt, Indiæ campos complent. quæ uero sunt æditis locis sitæ, hæ ex laterculis ac luto structæ sunt. Amplissima Indicarum urbium est, quàm Palimbothram uocāt in Gadrosorum finibus, iuxta Erannoboæ & Gangis fluminum concursum. qui quidem Erannoboas, inter Indiæ flumina tertium magnitudine locum obtinet: sed Gangi cedit, omnium longe maximo. Ait Megasthenes, huius urbis longitudinē ad LXXX stadia, latitudinem ad XV protendere: fossamq; urbi circunductam, latitudine sex terræ

Alexandro deuicta India.

Indicarum urbium copia.

Palimbothra.

Erannoboas.

iugera occupare, altitudine cubitos XXX *habere, turres* LXX *supra* CC. *portas* IIII *ac* LXX. Est

Indi omnes liberi.

autem & hoc mirabile, quod ait ipse Megasthenes, in India omnes homines liberos esse, seruire neminem. In quo Lacedæmonij cũ Indis conueniunt, apud quos

Indorum genera. ὁι σοφισαί.

externi modo captiui seruitutem seruiunt. Diuiduntur Indi in VII *genera hominum, quorum alij Sophistæ appellantur, numero quidem inferiores cæteris, sed honore & gloria cæterorum omnium præstantissimi.* Hi haud necesse habẽt ullis corporis muneribus fungi uiuendi gratia, neq; in publicum aliquid conferunt, neq; alij cuiquam negocio aut operi præterquam deorum sacris, pro rebus publicis intendunt. & si quis alius priuatim sacra faciat, adhibetur ei è Sophistarum numero quispiam, qui doceat quo pacto sacrificandũ sit: quasi non aliter sacrificia dijs accepta sint. Sunt autem Sophistæ soli inter Indos diuinandi periti, nec cuiquã extra illos diuinatio permittitur. Ea modo prædicunt, quæ ad tempora anni pertinent, aut si quã publica calamitas impendeat. At circa singulorum casus, ac priuatorum fortunã, non est ijs diuinandi cura: siue quòd diuinandi rationem ad hæc minora & priuata pertinere nõ putent: siue quòd se indignũ existimẽt, circa hæc minuta et parua laborare. Si quis eorum ter in diuinando errauerit,

silentij modò pœna mulctatur. nec est quisquam qui indicto silentio, cogere poßit ut loquatur. Hi Sophistæ nudi agunt, per hyemem quidē sub diuo apricantur, æstate autem in pratis, aut paluftribus & opacis locis sub arboribus: quarum umbram Nearchus *scribit ad quinq; iugera in circuitu extendi, tantaq; amplitudine, ut dena hominum millia sub una aliqua earum sese poßint ab æstu solis defendere. Vescuntur folijs & fructibus quarundam arborum, quæ prædulcia sunt, ac multum nutrimenti non secus ac palmarum caricæ afferunt. Aliud genus hominū* 2 οἱ γεωργοί.
post Sophistas, culturæ agrorum studet: & hi quoq; ad multitudinem quidem satis multi. Hi neq; arma habent, quibus in prælio utantur: neq; rem bellicam curant, sed agros colunt, ac regibus & ciuitatibus liberis tributa pendunt. Quod si contingat Indos inter se bellum gerere, nefas est agrorum cultores uersari, aut uastari agros. Sed illi quidem qui bellum gerunt, in conspectu agricolarum pugnant, seq; interimunt, illis quiescentibus, uel aliquod opus rusticum facientibus. Tertium genus Indorum ex pastori- 3 οἱ νομεῖς.
bus constat. & hi quidem neq; in urbibus neq; in pagis habitant, sed huc illuc uagi errant, uiuuntq; in solitudine ac montibus. & hi quoque ex pecore tributa soluunt, ferasq; agitantes, uenatu uitā agunt. 4 τὸ δημιουργικὸν καὶ καπηλικὸν γένος
Aliud genus opificū & negociatorū est: & hi quoq;

Z 2 de

de artium suarũ quæstu tributarij sunt, his exceptis, qui arma fabricantur. His enim uel ex publico merces est. In hoc genere comprehenduntur & fabri na-
5 οἱ πολεμισταί. *uales, & qui flumina nauigant.* Quintum genus
est apud eos militantiũ: & hi quidem secundũ agricolas, cæteris ordinibus numerosiores sunt. cæterum multa licentia uti sinuntur. Nihil præter arma curant, aut exercent: arma ab alijs accipiunt, ab alijs equos, elephantos, currus, aurigas, curruumq́; rectores. Per belli tempus bello intenti sunt, pacatis domi rebus quiescunt: tantumq́; è publico capiunt, quan-
6 οἱ ἐπίσκοποι. *tum ad se suosq́; alendos satis sit.* Sextum genus
est eorum, quos rerum agendarũ curatores uocant. Horum officium est, quæ in urbibus, quæ in agris fiant, cum cura inuisere, eaq́; regibus (si per regem gubernentur) aut magistratibus (si liberæ ciuitates sint) renunciare. his nefas est, falsi quicquam pro uero afferre. Nec Indorum quisquam unquam in iudicium, quòd mentitus esset, uocatus est: tantum apud
7 οἱ ὑπὲρ τῶν κοινῶν βουλευόμενοι. *eos uerum ac fides ualet.* Reliquum eorum genus
est, qui de rebus publicis, regibus ac magistratibus consultant. Hi quidem numero pauci sunt, cæterum propter sapientiam ac iustitiam cæteris omnibus anteponuntur. Ex hoc genere principes, legumlatores, quæstores, ac copiarum et classium duces, ædiles, quiq́; rustico operi præsint, leguntur. Coniugia hisce

ordi-

ordinibus promiscua fieri nefas est. neq; enim licet agrorum cultori ex artificum genere uxorem capere, nec contrà. Neq; eundem hominem duas artes exercere permissum est: neq; ex uno aliquo genere opificij ad aliud transire. Hoc modò unum omnibus concessum: posse ex quocunq; genere Sophistam fieri. quoniam Sophistæ circa aspera & dura ac laboriosa uersentur, plusquam cætera genera, quæ supra memorauimus. Venantur Indi quæcunq; ferarum genera, quemadmodum & Græci: sed elephantorum agitatio omnium iucundissima est. ea per hunc modum fieri consueuit. Deligunt uenatores loca plana & aprica, exercitus magni capacia. in eius circuitum fossam perducunt, quinos cubitus latam, altam quatuor, terramq; congestā labris fossæ congerunt, eaq; pro muro utūtur. deinde in exterioris labri aggere cauernulas extruunt, et parua quædā foramina relinquūt, per quæ lucem admittant. inde appropinquantis feras, septaq; ingredientes prospectant: & quo magis elephantos eòdem illiciant, quatuor fœminei sexus ex mansuetioribus intrà concludunt, unumq; modò aditum relinquunt, labro fossæ ponte iuncto, eoq; multo cespite constrato, ne à feris intelligi dolus possit. Venatores intra cauernas latent. Elephanti loca culta interdiu non adeunt, cæterùm noctu errantes, gregatim pascuntur: cumq; maximè ducem habent,

Indorum mores ac instituta.

Elephantorū uenatio.

ac sequuntur, qui magnitudine ac generositate quadam animi cæteris præstet: nõ aliter ac tauros, boues sequi uidemus. Postquàm septis propiores facti, inclusarum uocem audierunt, easq; per odoratum cognouere, eò protinus aduolant, septorum labra circumeunt, donec pontem reperiant: quo reperto, in septa protinus se conijciunt. Custodes ubi ingressos uident, continuò pontem subtrahunt. Alij proximos pagos subitò petentes, elephantos inclusos nunciant. Quo cognito, populares confestim elephantos mansuefactos inscendunt, & eòs quidem qui cæteris animosiores uidentur, atq; eò contendunt. Nec tamen primo statim aduentu cum agrestibus elephantis pugnam incipiunt, sed illos aliquandiu fame sitiq; macerari permittunt: quos ubi infirmiores ac remissiores factos uident, rursus dimisso ponte, septa ingrediuntur. Et primo quidem ingens certamen, utpote inter mansuetos & feros, committitur: sed procedente certamine, syluestres superantur. Tum sessores elephantorum in terram delapsi, uinculo pedes innectunt, & à domesticis elephantis uerberari sinunt, donec uerberibus fatigati concidant. post hæc laqueos collo intendunt, humiq; prostratos inscendunt: & ut rectores pati discant, sintq; usu faciliores, colla circumcidunt, uulneriq; laqueos circunligant

Elephantos domandi modus.

ligant, uti uulneris dolore se regi patiantur. nam si non obtemperent sessoribus, tracto uiolentius fune imperia admittunt. Si qui uero eorum aut immaturæ adhuc ætatis, aut inepti uideantur, abire permittunt. Cæteros ducunt in pagos, ijsq; gramina primum, ac uirides calamos, pro cibo apponunt: qui cum primum præ dolore cibos sumere recusent, uario cantu ac cymbalorum tympanorumq; tinnitu eos demulcere conantur. Habet namq; elephas (si qua alia fera) partem aliquam humanæ intelligentiæ. Iamq; eorũ aliqui reperti sunt, qui rectores suos in prælio cæsos, atq; ex humo in dorsum ereptos, ex medijs hostibus ad sepulturam abstulerunt. alij iacentes sessores, contra uim hostium tutati sunt. nonnulli rectoribus ab hoste excußis, sese pro illis neci obiecerunt. Inuentum & unum ferunt, qui cum per iram rectorem occidisset, pœnitentia facti ductus, præ mœsticia ex inedia decesit. Vidi ego aliquando elephantum, duo simul cymbala anterioribus cruribus appensa pulsantem, alio cymbalo ad proboscidem illi ligato: & ad sonum cæteros elephantos saltãtes aptè atq; compositè, in gyrũ, nũc se attollentes, nunc incuruantes, prout numerus & ratio soni postulabat. eratq; mirus quidam cymbalorum omnium concentus. † Fœmina ueneris appetens, uerno tempore, quemadmodum bos & equa:

Elephantorũ intellectus.

Caĩnτaι ᾗ ἐλέφας.

quo tempore uenæ quædam, quas habent circa tempora, erumpentes expirant. Fertq; in utero fœtum, quæ plurimum, duo de XX menses: quæ minimum, XVI. Parit autem unicum, sicut equa: atq; hunc lacte suo ad octauum annū enutrit. Viuunt elephanti, qui plurimū, annis ducentis: pleriq; morbo correpti minus. Oculorum ægritudini salutare remedium est, lac bubulum: cæteris morbis, uinum nigrum epotū prodest. ulceribus uero, porcinæ carnes tostæ ac tritæ.

Tigris elephante ualentior.

Elephanto multo ualentiorē tigrim Indi existimant: cuius pellem se uidisse Nearchus scribit, animal non uidisse. Indos dicere, magnitudine ingentis equi: tanta uelocitate atq; animi uigore, ut nullum aliud huic animal æquiparari posse uideatur. Quæ ubi cum elephanto congreditur, strenuo saltu caput insiliens, complexum strangulat. Hæ uero quæ à nobis uidentur, quas Tigridis uocabulo appellamus, Thoës sunt: alterius generis feræ uariæ, maiores tamen quàm aliæ Thoës. De formicis autem inquit Nearchus, formicam quidem se non uidisse, cuiusmodi alij quidam scribunt in India enasci: pelles autem à se uisas, & earum multas in castra Macedonum allatas. Megasthenes autem affirmat, certa esse, quæ de illis uulgata sunt. eas esse, quæ aurum ex terra effodiunt: nō quidem auri studio, sed ut sibi specus longè sub terram parent. has enim uulpibus maiores, terramq; fodere

Thoës.

Formicæ Indicæ.

auro

auro mistam, & ex ea purgata Indos aurum conflare. Sed ex auditu, non ex uisu hæc narrat. Ego uero, qui nihil certi afferre de hac re possum, eorum mentionem missam facio. Psittacos Nearchus narrat, tanquam rem miram, nasci apud Indos, ac uocem humanã exprimere. Ego autem, quoniam multas eius generis aues mansuefactas uidi, aliquas etiam agrestes libero cœlo uolitantes, non prosequar de huiusmodi aue, tanquam de re admiranda, plura dicere. neq; etiam de simiarũ magnitudine, quæ ue cæteris præstare apud Indos putentur, neq; qua arte capiantur. hæc enim nota sunt omnibus, propter earum fortasse miram pulchritudinem. Serpentes scribit Nearchus ibidem capi, uaria pelle, ac miræ uelocitatis: & eum quem peremit Python Antigoni, cubitorum XVI fuisse. quo etiam maiores asserunt Indi apud se nasci. Remedium nullum Græcorum physici contra eorũ morsum inuenere, quod ab Indis inuentum est. Ob hanc rem ait Nearchus, Alexandrum omnes Indos medicæ artis peritos apud se habuisse, qui serpentum morsu curarent affectos. Eosdem medicos alijs quoque morbis remedium attulisse. non multas autẽ esse Indorum ægritudines, propterea quod quatuor anni status apud illos temperatiores eunt. Si qua uero uis maior ingruat, Sophistas consulere solere: eosq; non sine diuina quadam uirtute sanare, quæ sananda credunt.

Psittaci.

Simiæ.

Z 5

dunt. Linteis uestibus utuntur Indi, quemadmodum ipse Nearchus ait: linumq; ex quo texuntur, in arboribus nasci: quemadmodũ prioribus libris diximus. & hoc quidem linũ aut reuera omni lino candidius est, aut corporum nigredo illud aliquanto candidius efficit. Vtuntur lintea tunica, crure medio tenus, uelo autem partim circa humeros, partim ipsis etiam capitibus iniecto. Et inaures Indi gestant, ex ebore, qui locupletiores sunt tantum: neq; enim uulgò id genus ornamenti ferunt. Barbam uero ait illos alio atq; alio colore fucare, ut in alijs alba, in alijs phœnicea, in nonnullis rufa, in quibusdã uiridis, in aliquibus nigra uideatur. Vmbellas quoq; præ se ferre per æstatẽ, qui lautiores cæteris sunt. Calceis uti corio elaboratis albo, altioribus, ac soleis uarijs, quo proceriores appareant. Armatura uti diuersa. pedites arcum habere sibi æqualem longitudine, eundem intendere sinistro pede, quo fortius incuruent, introrsus opposito. sagittas trium ferè cubitorũ esse: tantoq; impetu exire, ut neq; scutũ, neq; thorax, neq; aliud quoduis armaturæ genus possit resistere. In sinistra Indos clypeos ferre ex corio crudo bubulo, longitudine ferentibus propè pares: cæterum aliquanto angustiores. Alios pro arcubus ferre iacula: gladio omnes uti lato ferro, trium cubitorum longitudine. hunc utraq; manu cominus prœliantes stringere, quo maiorem plagam

Linũ Indicũ.

gam

gam inferant. Equites iaculo uti, Dauniis non absimili: cæterũ scuto minore, quàm pedites. equos neq; sellis insterni, neq; frænis Græcis, aut Germanicis, sed bubulis loris cohiberi: iis clauiculos affixos uulgus gerere, non multũ acutos, ad interiorem partem conuersos: iisdem eburneis locupletiores uti. quemad modũ et equis asinisq; uulgus, lautiores elephantis. Elephantis uehi, regium haberi. proximus huic honor, quaternis equis: post equos, camelis uectari. Vno autem equo uehi, haud honori esse. Ad hæc, eorum uxores, quæ castæ sunt, nullo alio munere quàm elephanto corrumpi posse: neq; turpe existimari, si mulier pro elephanto cuiuspiam uoluptati obsequatur. Quin etiam ipsas sibi laudi ducere, quòd earum pulchritudo elephanti muneri digna censeatur. Nubere uirgines nulla dote data, uel accepta: cumq; ad ætatem nubilem uentum est, patres illas producere, ac permittere uti eum sibi deligant uirum, qui uel cursu, uel lucta, uel pugillatu, uel alia quapiam uirtute alios anteire iudicetur. Aratores Indos, qui in plano degunt, pane triticeo uti: montanos, ferinis carnibus. Hactenus mihi exposuisse satis sit, quæ de Indis & eorum moribus nota, Nearchus ac Megasthenes uiri probi ac graues conscripserunt. Nam ne hoc quidem mihi propositum fuerat, uti eorum mores aut leges scriberem: sed illud,

quo-

Alexandri classis ex Indis in Persas.

quónam modo claßis ex Indis in Persas aducta sit. Itaq; eiusmodi rebus enarrandis modus statuatur. Vt autem ad rem redeam, postquàm Alexander in Hydaspis fluminis ripas paratas naues, quas imperauerat, reperit, Phœnices, Cyprios, Aegyptios, quicunq; in castris erant, in eas imposuit, utpote maritimarũ ac naualium rerum peritiores. Legit item oriundos ex insulis, Ionas quoq;, & Hellespónticos, triremiũ ductores constituit. Ex Macedonibus Hephæstionẽ, Leonnatum, Lysimachum, Asclepiodorum, Archonta, Demonicum, Archiam, Ophellam, ac Timantem. hi Pellæi erant. Ex Amphipoli, Nearchũ Cretensem, qui hanc nauigationẽ scripsit, ac Lampedona, & Androsthenem. Ex Orestide, Craterum ac Perdiccam: Heordæos, Ptolemæum ac Aristonum. Ex Pydna, Metronem ac Nicarchidem: Attalum præterea Styphæum, Peucestam, Pythonem, Alcomenem, Leonnatum, Aegeum, Pantauchum, Alaritem, Mylleam: omnes Macedonas. Ex Græcis uero Medium, Eumenem scribam, Cardium: Critobolũ Coum, Thoantẽ, ac Mæandrum Magnesium, & Andronem: Ex Cypris, Nicolcum, Solium, Nithaphontem Salaminum. Ex Persis, unum Magoam, nauis suæ gubernatorem constituit: Onesicritum Astyphalæum, scribam Eua gorám Corynthium: præfectum claßis Nearchum, genere quidem Cretensem, cæterum Amphipolitanũ

ciuem

ciuem, quæ urbs ad Strymonem amnem sita est. Postquàm hæc ita instituit, dijs patrijs, & quibus præterea uates significari monuerũt, tum Neptunno, Ocea no, Nereidibus, Hydaspi flumini *(unde moueri incipiebat) & item* Acesini, *quem* Hydaspes *influit, atq;* Indo, *in quem ambo exeunt, sacrum fecit: certamina quoq; musica & gymnica proposuit, sacrificiorum reliquijs in exercitum distributis. Omnibus itaq; necessarijs ad nauigandum comparatis, Craterum iubet ab altera parte fluminis cum magno equestrium ac pedestrium copiarum numero iter facere. Ab altera* Hephæstionem, *cum exercitus parte maiore quàm* Cratero *aßignata erat, ac elephantis fermè ducentis: ipse argyraspides secum agit, omnes sagittarios, & ex amicorum equitatu propè* CCC. *Hi octies mille numero explebant.* Cratero & Hephæstioni *in mandatis dat, uti præeant, classemq; præstolentur. Ad hæc* Philippum, *quem in ea regione satrapem constituerat, ad* Acesinem *cum parte copiarum mittit. Ita enim* C *ac* XX *millia militum eum sequebantur, cũ ijs quos ipse è maritimis oris duxerat. Præterea qui missi ab eo fuerant ad congregandum exercitus, gentes* Barbaras *ex omni genere, & ad omnem speciem armatas adducebant. Ipse enim mouens cũ nauibus, infrà nauigare pergit per* Hydaspem, *ad ipsius amnis et* Acesinis *concursum: habebatq; ad octingentas*

naues,

Amphipolis.

naues, partim longas, partim onerarias, quibus & commeatus & equi uehebantur. Quo autem modo hæc flumina nauigauerit, quotq; & quas gentes in ea nauigatione deuicerit, quod periculũ in Mallis incurrerit, quomodo uulneratus sit, & cadens ex uulnere, à Peuceste & Leõnato obiectis scutis protectus fuerit, iam à nobis satis narratum est. Nunc restat, ut de Nearchi nauigatione ab ostijs Indi fluminis per Oceanũ, usq; in sinũ Persicũ (quem alij Mare Rubrũ appellant) edisserã. Scribit Nearchus, fuisse Alexandro desiderium enauigandi Oceani, quantum ab India in Persidem patet: sed deterritũ nauigationis longinquitate, tum ne in terrã desertã atq; incultã, aut in oras importuosas incidens, exercitũ aut classem amitteret: ne quã forte temerario ausu accepta calamitas, omnem gloriam ac fœlicitatem suam fœdaret. Verum cum esset incertus, quem' nam potißimum ex omnibus legeret, qui cogitata sua implere posset: scribit Nearchus, eum à se quæsisse, quem' nam sibi tantæ rei ducem proponeret. alios quasi periculi metuentes, quosdam ueluti molli & effracto animo, nonnullos uero tanquam patriæ desiderio commotos accusantem: seq; in id operam suam pollicitum. Alexandrum primo negasse: sed cognito eius studio, sibi classem demandasse. Itaq; tum maiore diligentia apparari cœpta, quæ ad nauigationem pertinere putabantur.

Nearchi ab Indi ostiis in Persicum sinũ nauigatio.

bantur. Nautæ quoq; quietiore animo erãt, quòd sibi persuasum habebant, Alexandrum se non temere in discrimen missurũ. Ad hæc splendor multus apparatuum, & nauiũ ornatus, studiaq; eorũ qui triremibus præpositi erant, omniũ animos (si qui erant timidiores) in spem erigebant. Multũ præterea metus sustulerat Alexãdri ultra fluminis ostia nauigatio: quodque Neptunno ac cæteris dijs hostias mactasset, uti prosperè ac fœliciter nauigatio eueniret. perpetua quoq; Alexandri & continuata fœlicitas, fiduciã augebat, quòd nihil eius auspicio ductuq; frustra tentari posse uidebatur. Præterea Etesiarũ tempestate cessante, qui uenti per æstatẽ in ijs Oceani oris maria concitare soliti, nauigationem impediunt: Nearchus inde cum classe discessit, Cephisodoro Athenis summam reipub. administrante, X X die mensis quem Boëdromionem Athenienses uocant: ut Macedones et Asiatici tempora cõputant, regni Alexandri anno undecimo. Sacrificauit aũt & Nearchus, anteq̃ discederet, Ioui seruatori, ludosq; edidit et ipse gymnicos, quo die primum nauigare cœpit, ad amplissimũ quendam riuum delatus, cui Suræ nomen: ab eo loco unde discesserat, stadia circiter centum: ibiq; cum classe biduum permansit. Tertio die cum inde mouisset, ad alium riuum (Caumana uocant) deuectus est, triginta stadia priore remotũ, in qua iam marinam salsedinẽ

Etesiæ.

Suræ.

Caumana.

gustata

gustata aqua referebat. Mare enim introrsus accedit, cum sese æstus ingerit. Inde ad XX stadia progressus, apud Coreatim (sic locum appellant) intra amnē constitit. Inde mouens, cum paululum processisset, uisi sunt ad exitum amnis & albescentes fluctus repercussis littoribus, & elisæ spumæ: perductaq; fossa stadiorum quinque, quà terra fossione facilior uidebatur, naues eò induxit, cū primum maris æstus reuehi in amnem cœpit. Hinc C & L stadia profectus, in insula Crocala substitit, ibiq; sequentem diem exegit: huic insulæ uicini sunt populi, quos Arrhabes uocāt: et ipsi gens Indica, de quibus superioribus libris mentionem fecimus. iiq; à flumine Arrhabio ita denominati, qui amnis horum fines ab Oritarum finibus diuidit. Ex Crocalis digressus, ire pergit. ab dextra mons Irus erat: à læua, insula quam Haliteneam nuncupant. hæc ad littus extenta, angustū sinum efficit: quo transmisso, in portum quendam tutum ac tranquillum uentum est, quem Nearchus Alexandri portum nominari uoluit. Contra portus fauces insula quædam sita est, non plus duo stadia à portu remota, cui nomen Bibacta est. adiacens regio Sangada appellatur. Hæc insula mari opposita, suapte natura portum efficit. Sed ea loca uentus ex Oceano uehemens subinde exagitabat. Itaq; ueritus Nearchus, ne quā Barbarorum manus collecta classem aggrederetur, castris

Coreatis. Crocala. Arabes. Arabius flu. Irus mons. Halitenea. Alexandri portus. Bibacta. Sangada.

castris in continēti positis, ac circūmunitis, quatuor & XX dies moratus est. interim marinos mures, atq; ostrea legere solitos refert, mirandæ magnitudinis, præ ijs quæ in nostro mari nascuntur: aquam uero salsedine corruptam epotasse. Postquàm uenti conquieuere, cum classe digressus, ac LX fermè stadia profectus, in sabulosum littus appulit. Erat littori prætenta insula quædam deserta, Domæ appellāt: Domæ. *quæ obiectu suo portum faciebat. Ad hanc recepta classe, biduo stetit: aqua nulla potabilis in littore erat. Profecti itaq; in continentem ad XX stadia, dulcem repererunt. Postridie CCC stadia emensi, Sarangą ea regio appellabatur, classem littori applicuit. sed aqua à littore ad octo fermè stadia aberat.* Saranga. *Digrediens inde Nearchus, † ad Sacalasim locum incultum peruenit.* ἐν σακάλοισι. *Deinde præteritis duobus scopulis, usqueadeò inter se coniunctis, ut nauium corpora utrinq; cautes stringerent, CCC fermè stadia emensus, in Morontobaris constitit. Ibi portus est ingens,* Morontobari. *in orbem situs, ac profundus, à maris tempestate tutus, cæterum angustis faucibus. hunc indigenæ Fœminarum portum appellant,* γυναικῶν λιμήν. *à muliere, quæ primum in his locis regnauit, denominatum. In magnam uero iactationem classis incidit, præteritis scopulis, antequàm in portum peruenerit: sed scopulos circumlegere nimis durū uidebatur. Postero die inde abiens,*

insulam quandam à sinistra pelago obiectam, nactus est: uerum ita propinquam littori, ut interiectum mare, non maris, sed fossæ potius speciem præseferret. Eo die ad LX stadia nauigatum. erat in eo littore sylua, arboribus densa ac frequens: insula quoq;, et ipsa opaca. Sub lucem abiens, per angustias quasdam nauigabat. nanq; maris æstus magnã partem in sicco reliquerat. Inde emensis C & XX stadijs, ad Arabij fluminis ostia constitit. Portus circa hunc magnus ac tutus erat: cæterum aqua ob hoc amarior, quòd per hostia sese ingerens mare, illam contaminat. itaque ad LX stadia aduerso amne profecti, lacum dulcis haustus inuenere: indeq; assumpta aqua, ad insulã reuersi sunt. Insula, quà ad portũ uergit, eminens est ac uasta: sed circa eã ostrearũ atq; omnis generis piscium ingens copia, quibus sese piscantes refouerunt. Hoc flumine India terminatur, has oras Indiæ terminus. *extremi Indorum habitant. ulteriora proximi Oritæ tenent. Ab ostio Arabij digressus Nearchus, Oritarum oras prænauigans, Pagalis substitit: cum* Pagali. *quidem ad CC stadia sub asperam rupem, non sine nauium iactatione, nauigasset. Sequenti die ubi illuxit, inde digrediens, cum ad CCC stadia nauigasset* ἐς κάβανα. *† in Bacana peruenit. Et quia littus eminẽtius ac scopulosius erat, hoc lõgius à terra iaci ancoras iussit.*

Dumq;

Dumq; eò nauigat, magna ui uentorum subitò coorta, cum uexaretur in alto classis, naues tres desideratæ sunt. nemo tamen eorum qui inuehebantur (quoniam haud procul à littore nauigabant) interijt. Digressus inde circiter secundam noctis uigiliam, CC ferè stadijs enauigatis, Comalam delatus est. Cumq; naues ibidem conflictarentur concitato mari, expositis in terram militibus castrametatus est. qui longæ nauigationis tædio fatigati, requiescere aliquantum cupiebant. Ne uero Barbari in se impetum facere ex improuiso possent, castra uallo circundedit. In hoc Leonnatus, cui Alexander Oritarum res mandauerat, magno prælio Oritas uicit, cæsis sex milibus, cū eorum ducibus: de exercitu eius non plus XV equitibus, peditibus quoq; non multis, & in his Apollophane Gedrosorum præside. Sed hæc à nobis superioribus libris enarrata sunt: & præter hæc, Leonnatum aurea corona ab Alexandro donatum. Interea frumentum, uti Alexander mandauerat, à Leonnato in classem diuisum est. Refectis hoc loco nauibus, quas maris tempestas quassauerat, decemq; dierum cibarijs impositis, & ex nautis (si quos maris tædebat) apud Leonnatum relictis: ex ijs qui cum Leonnato erant, nautarū numerum suppleuit. Mota inde classe, quingenta ferè stadia progressus, & ad fluuium quem Thomeron uocant delatus, ibidem

Comala.

Oritarum clades.

Apollophanis cædes.

Thomeron flu.

classem statuit. Erat iuxta exitum amnis stagnum circa litus, habitabant incolæ in exiguis quibusdam tugurijs: qui uisa classe, utpote re insolita & noua, obstupuere, seq; ad littus gregatim contulerunt, uelu ti pugnaturi, dum milites è nauibus egrederentur. Lanceas manu gerebant, sex ferè cubitorum, nulla cu spide præfixa: sed tantum præacutas, igneq; duratas. Erant enim circiter sexcenti. quos Nearchus ut uidit in aciem constare, classem littori intra teli iactum appelli imperat, atq; in Barbaros sagittas mitti. namq; Barbarorum lanceæ propter crassitudinem ex longinquo haud habiles erant. Tum ex militibus nandi peritos, ac leuiter armatos, ad littus nando iubet contendere: quiq; prius in solum enatet, adhuc in aqua stans socium expectet, qui cum se iungat: nec prius in Barbaros impetum faciat, quàm tota phalanx triplici acie instructa sit. Quo facto, cũ ingenti clamore atq; impetu Barbaros petant. At Barbari simulac uiderunt, & qui è nauibus descenderant in se ire, & è classe procul sagittis configi, armorum splen dore exterriti, cum quidem ipsi inermes essent, confestim in fugam uerterunt. Aliquot in ipsa fuga cæsi, nonnulli capti, cæteri in montes proximos diffugerunt. Erant captiuis ungues præacuti, ac duri, quibus pro ferro utebantur. his pisces occidebant, mollia ligna secabant, duriora uero lapidibus cædebant.

Vngues pro ferro.

neq;

neq; enim apud eos ullus est ferri usus. Ferarum pelles ijs pro uestibus sunt: alijs grandium piscium densiores pelles. per cætera hirsuti, atq; horridi sunt. Fugatis Barbaris, Nearchus classem subduci, quassatasq; naues reparari iussit: diebus quinque quieti datis, sexto die inde mouit. Cumq; ad CCC stadia processisset, in extremos Oritarum fines peruenit. Malanam eum locum indigenæ uocant. Oritæ procul à mari mediterranea loca incolunt, uestitu armisq; Indicis utuntur. cæterum linguam aliam atq; alios mores habent. Emensus est Nearchus hac nauigatione primũ ab Indi fluminis ostio, per Arrhabiorũ oras, stadia mille: per Oritarum, MDC. Vltra Oritas, scribit Nearchus non esse Indos, nec umbras eodem modo ferri: sed ubi introrsus in mare processerant, ipsas easdem umbras in meridiem conuersas uideri. cumq; diei medium sol obtinet, umbras in his locis nullas iacere. De stellis quoq;, quotquot prius altiores uidebantur, alias quidẽ penitus euanescere, alias terræ propiores occidere: statimq; exorıri uisas illas, scilicet quæ antea semper apparebant. Et hæc quidem non temere Nearchus mihi uidetur scripsisse. nam & Syene urbe Aegyptia, cum sol æstate tropicus est, puteus in meridiem sine umbra ostenditur. In Meroe quoq;, eodem tempore umbræ perpendiculares sunt. Consentaneum quoq; rationi est, & In-

Malana Oritæ.

Syene.

Meroe.

dis ad meridiem uersis eadem illa accidere, præsertim in mari Indico, quo magis id mare in meridiem inclinat. Sed hæc hactenus. Post Oritas uersus mediterranea Gedrosi habitant, quorum fines difficulter cum exercitu Alexander pertransijt: pluraq; incommoda passus est, quàm in tota reliqua expeditione Indica. Infra Gedrosos loca maritima accolunt ij quos Ichthyophagos uocant. hi piscibus uiuunt. Eorũ oras cum classe legens Nearchus, cum stadia DC processisset, Bagisaram peruenit. Portus in ijs locis erat, ad receptum classis commodus: pagusq; Pasira, LX stadijs à mari remotus. Postridie eius diei rupem quandam altam atq; præruptam, longeq; in mare prominentem cum classe præteruectus est: defossisq; puteis, multam quidem aquam, cæterum salsam nactus est. Et eo quidem die in ancoris classis stetit, quoniã ad littus accedi non poterat. altero die in Coltas accessit, stadia ducenta emensus. Inde sequenti die mouens, cum DC stadia profectus esset, in Calimis constitit: qui pagus littori uicinus erat, & in eo palmæ aliquot cum caricis inuentæ. Aberat à littore ad C ferè stadia insula quædam, nomine Carnina, eius pagi incolæ Nearcho muneri pisces ac oues attulerunt, quarum carnes ait Nearchus sapore ab auibus marinis non differre. nam & ipsæ pecudes piscibus alun-

Gedrosi.

Ichthyophagi.

Bagisara. Pasira.

Calime.

Carnina insula.

aluntur, cũ gramina nulla ea regio ferat. Eo qui secutus est die, cum ad CC *stadia nauigasset, classem ad littus egit. Pagus à mari ad triginta ferè stadia aberat, Cysam uocant: littus adiectum, Carbim.* Hoc *loco paruæ quædam nauiculæ piscatoriæ repertæ sunt, sed piscatores nulli. Nam simulac conspexerunt ad littus adigi, destitutis nauibus, fugam arripuerunt.* Frumenti *nulla copia erat: idq; iam classi deesse inceperat. Itaq; direpto pecore, atq; in naues imposito, inde abijt: ac circumuectus promontorium altum ac confragosum, ad* C *&* L *stadia in mare porrectum, in portum quendam tutum (Mosarnam appellabant) deuenit. Hinc scribit* Nearchus, *sumptum à se nauigationis in Carmaniam ducem* Hydracem *Gedrosum, operam suam pollicentem.* Quæ *inter hunc locum ac sinum* Persicum *inter iacent, non sunt cursu tam difficilia, quàm priora: ac certe celebriora ijs oris, quas ab Indis uecti præterierant. Inde discedens* Nearchus *cum classe,* DCC *&* L *stadijs emensis,* Balomum *littus tenuit. Exinde in pagum (*Barna *uocant) stadia abinde* CCCC *progressus est: in quo frequentes palmæ & hortuli, in quis myrtus natæ erant, uarijq; flores: ex quibus rustici sibi serta facere solebant.* Hoc *primum in loco & cultæ arbores, & homines à feritate aliquanto remotiores, conspecti sunt.*

Cysa. Carbis. Mosarna. Hydraces. Balomon. Barna.

Dendroboſa. Deinde CC ſtadia ulterius profectus, in Dendroboſam peruenit. Cum autem mare eſſet undoſius, in ancoris iactabantur: atq; hinc ſecunda noctis uigilia Cophas. mouens, ad portũ quem Cophantem nominant, peruenit, CCCC ſtadia à Dendroboſa. Hic & piſcatores inhabitant, paruis utentes nauibus. non agunt naues Græcorum more, remo ad ſcalmum applicato: ſed foſſoribus ſimiles, aquas hinc atq; inde diuerberant. ibiq; uis multa aquæ puræ ac dulcis inuenta eſt. Inde Cyiza. poſt primã noctis uigiliam digrediens, Cyiza adijt, cum ad DCCC ſtadia nauigaſſet (erat id littus incultum ac deſertum, & ante ipſum ſcopulus in mari eminens.) Itaq; iactis ancoris, ibidem in claſſe cœnauerunt. Inde enauigatis ſtadijs D, peruentum eſt ad paruum quoddam oppidum in colle ſitum, haud procul à littore. Quo uiſo, Nearchus circumiectos Archias. agros (quod uerisſimile erat) coli ratus, Archiæ Pellæo locum improuiſò occupandum inquit: quod putabat oppidanos non niſi coactos, frumentum & cæteros commeatus præbituros eſſe. repentino autem prælio non uideri capi poſſe, obſidione ac mora opus eſſe. at iam frumenta deficere: exiſtimare ſe ex ſtipulis procul uiſis, regionem illam frugiferã eſſe. Cuius conſilium cum Archias comprobaret, cæteras quidẽ naues expediri imperat, ueluti inſtitutum curſum perſecuturas: negocioq; Archiæ dato, ipſe cum una modò

modò naui à reliqua classe digressus, ad oppidum accedit. Appropinquanti incolæ præter spē, ueluti amici, cum muneribus, thynnis uidelicet assis, occurrunt. Hi uero Ichthyophagorū ultimi, ijs quos primū inuenere moribus & uictu similes uisi, caricas quoq; et alios maturos fructus exhibuerunt. Quibus benignè acceptis, cum Nearchus se uelle diceret urbem inuisere, eius rei potestate facta, oppidum ingressus est. Ac primo ingressu, portulam duobus fidis sagittarijs custodiendam dat: ipse cum duobus socijs modò, atq; uno interprete ascensis mœnibus, Archiam signo edito aduocat. Quo uiso confestim Archias classem urbi admouet: Macedones, haud mora, in mare prosiliunt. Quod cum Barbari animaduerterent, exanimati, arma sumere conantur. At cum interpres, quem cū Nearcho introijsse diximus, clamitans diceret, frumentum classi dari oportere, si saluum oppidum uellent: negare illi primo, sibi frumenti copiam esse: deinde murum inuadere, uti Nearchum cum socijs expellant. Cæterum sagittis supernè petiti, retrocesserunt. Postquàm uero agnouerunt, urbem seruari nō posse, subeunte iam muros nauali exercitu, ad preces conuersi, Nearchum orare incipiunt, uti omni frumēto quod in urbe esset accepto, sibi urbiq; parceret. Quibus uerbis motus Nearchus, Archia portas ac muros urbis occupare iusso, per urbem dimittit qui Ichthyophagi

frumenta conquirant, uideantq; ne ea oppidani celēt.
Farina ex piscibus. Farinæ multum ex piscibus assis contritis ostenderunt, tritici autem atq; hordei parum. farina ex piscibus pro pane utebantur, triticeo pane pro obsonio. Ex quibus parte accepta, Nearchus cum classe ulterius ire perrexit. Ac nauigans, peruenit ad rupem
Bagia. quam Bagiam uocant, quam incolæ uulgauerant solisacram. Atq; inde circiter secundam noctis uigiliam
Talmena. soluens, Talmenam adijt, portum à uentis tutum, ad
Canasis. M stadia à Bagia longinquum. Inde in Canasim urbem desertam, stadia abhinc fermè CCCC prouectus est: ubi puteum quendam manu factum repererunt, quem palmæ agrestes desuper natæ contexerant: quarum cacuminibus, utpote tenerioribus, excisis, è quibus famem sustentarent, (iam enim classi frumentum defuerat) abierunt: ac iam fame laborantes, cum eo qui secutus est die ac nocte nauigassent, Nearchus ante littus desertum naues in ancoris statui iussit: ueritus, ne si in terram descenderent, multi tædio nauigationis classem destituerent. Inde soluens, cum ad septies centena & quinquagesies stadia na-
Canates. uigasset, iuxta montem quem Canaten nuncupant, noctē egit. stadijs deinde DCCC emensis † in Taios
† ὀκτακοσίους habet exemplar Græcū. delatus est: ibi pagi quidam exigui ac deserti erant. ubi aliquantū caricarum, & camelos VII repererūt, quorum interfectorum carnibus famem pepulerunt.

Sub

Sub lucem Nearchus cum classe digressus, CCC inde stadia in Dagastira peruenit, quem locum pauci quidam pastores inhabitant. Deinde stadijs C supra mille enauigatis, in fines Ichthyophagorum delatus est, in magna rerum necessariarum penuria. Erat in his locis promontoriũ, longè in mare extentũ: unde & classem terræ non admoueri, & in ancoris stare iussit. Magnitudo oræ Ichthyophagorum paulo plus dena millia stadiorũ complectitur. aluntur piscibus, unde & nomen sortiti sunt: sed pauci eorum piscantur. rari enim sunt, qui aut naues habeant, aut piscari sciant: piscium copiam maris recessus præbet. Aliqui eorum retia habent, tanta magnitudine, ut ad stadia duo pertendant: ea ex palmarũ folijs texunt, quibus contortis pro lino utuntur. Pisciũ eos qui sunt molliores, crudos, ita ut capiunt, mandunt: maiores aũt & duriores, in sole torrent: deinde tostos conterunt, ex quibus ueluti panem conficiunt. sunt qui ipsum puluerem triticea farina inspergant. Ea quoq; animalia, quæ cũ his simul uiuunt, eodem cibo nutriuntur. Illa namq; regio arida est, nec gramen ullum producit. Magnam etiam in his locis cancrorum, ostrearum, conchyliorum uim capiunt. Gignit & ea regio suapte natura salem, ex quo oleum conficiunt. Alij solitudines incolunt, nec arborem nec fructum ullum ferentis: & hi ex piscibus tantum uiuunt.

Ichthyophagorum cibus.

Alijs

Alijs aliquantum agri ſationalis eſt. hiq; frumento ueluti condimento quodam utuntur: piſces pro pane ſunt. Domos in hunc modum ædificant. qui paulo ditiores ſunt, balænarum oßibus grandioribus pro materia utuntur, ex craßioribus portas faciunt: cætera multitudo è ſpinis eorundem piſcium ſibi domos conſtruunt. Cete prægrandia, atq; immenſa magnitudine, & alterius generis piſces multo maiores in Oceano, quàm in noſtro mari naſcũtur. Scribit Nearchus, cum aliquando huiuſcemodi monſtrum præternauigaret, tantam aquarum uim efflando in cœlum eructaſſe, ut qui in nauibus erant, attonitis ſimiles conſtiterint, ignari quæ nam tãtæ molis cauſa eſſet. Cumq; edocti fuiſſent à nauigationis ducibus, hos piſces eſſe, remos è manibus præ metu excidiſſe: poſtmodũ oratione confirmatos, iußiſſe naues aduerſis proris ueluti nauali certamine contra belluarum corpora inferre, atq; ingenti ſtrepitu remos impellere, paruoq; interuallo diſiunctos nauigare. cumq; belluis appropinquarent, uociferatus quàmmaximos in cœlum edere, tubáq; canere. Quod cum ſtrenuè feciſſent, cete, quæ iam appropinquare nauibus uidebantur, ingenti ſono ſtrepituq; conterrita, ſeſe in profundum merſiſſe: eáq; paulo poſt ex aquis emergentia, atq; undarũ cumulos uomitantia, à puppibus conſpecta. inde multiplicem plauſum à nauticis copijs datum, uehemen-

Ichthyophagorũ domus.

Pugna cum Balænis.

uehementerq́; laudatam Nearchi prudentiam. Aliqua cum ad littus appelluntur, recedente æstu in uadis hæsere: alia fluctu iactata, quasi naues tempestate uictæ, in terram deferuntur: ex quibus putrefactis, ossa ad domos ædificandas legunt. Ossa laterũ grandiora pro tabulis sunt, minora pro asseribus, maxillarum oßibus pro portis utuntur: cum quidem multa eorum quinque & XX cubitos magnitudine excedant. Dũ Ichthyophagorũ Nearchus oras prætervehitur, cognouit insulam quandã in eo mari esse, C fermè stadijs à littore distantem. hanc incultam, sacramq́; Soli indigenæ aiebant, Nosalã nomine: nec à quoquam adiri. quam si quis imprudens adeat, non amplius apparere. Sed et Nearchus autor est, nauim quandam è suis, qua Aegyptij uehebantur, haud procul ab hac insula oculis omnium ereptam esse: affirmasseq́; nauigationis duces, Aegyptios ingressos, haud dubiè euanuisse: seq́; tum nauim unam cũ mandatis mittere uoluisse, quæ insulam obiens, amicos socios uocaret, descensu in insulam abstineret. Cumq́; nemo proficisci auderet, eò contendisse, ac nautas compulisse uel inuitos nauem appellere: seq́; in eam descendisse, ut uana esse ostenderet, quæ de ea insula indigenæ uulgauerãt. Alia quoq́; huiuscemodi fabula de hac insula ferebatur, incoluisse eam Nereidum unam (nomen ignotum) commisceri omnibus uiris

Balenarum ossa.

Nosala.

solitam,

solitam, qui nauem casu aliquo ad insulã appulissent: quos postea in pisces conuersos, in mare mittebat. solem ei ob hanc rem iratum, ex insula demigrare iussisse. non aduersatam soli: sed rogasse, uti sibi insitus uoluptatis appetitus adimeretur. solem postulatis eius annuisse, ac deinde quos illa ueneficio in pisces uerterat, rursum ex piscibus in homines uertisse: à quibus Ichthyophagorum genus ortum, ad Alexandri tempora peruenisse. Cæterum ex his refellendis, quæ refellere facile erat, non multum laudis Nearcho tribuendum puto. Supra Ichthyophagos Gadrosii in mediterraneis agunt, regione utiq; aspera & sabulosa. Quibus in locis, uti superioribus libris expositum est, Alexandri exercitus, ipseq; Alexander multa incommoda intulit. Postquàm uero ex Ichthyophagis in Carmaniam peruentum, ante promontorium quoddam ancoras iaci Nearchus iussit. nam & promontorium præruptum, & mare aliquantùm commotum erat. Exinde sublatis ancoris soluens, non amplius ita directè ad occasum, sed inter occidentem & septentrionem nauigare cœpit, proris nauium aliquanto magis ad septentrionem spectantibus, & ita Carmania arboribus fœcundior magisq; frugifera est quàm Ichthyophagorum & Oritarum regio, præterea & aquis abundantior. Cumq; in eam partẽ, † quam Padichorum uocant, per-

Ichthyophagorum genus unde.

Gadrosii.

ἐμ ϐαλυ-χῶρ.

peruenisset, ibi classem statuit: erant in eo loco uites, cæteræq; pomiferæ arbores, præter oleas. inde ad DCCC *stadia progressus, in littus desertum classem appulit. Inde erat cernere rupem ingentem in mare protentam, unius ferè diei (ut uidebatur) nauigatione, quam locorum gnari Macetam appellari aiebant. inde cinnamommũ, & alia huiusmodi odoramenta in Assyrios aduehi. Ab eo littore, in quo classem iactare diximus, atq; ab ea rupe, quam è regione uidebant in mare protendi, quemadmodum Nearchus sentit, & ego existimo, sinus Persicus introrsus recedit, quem mare rubrũ appellamus. Ad hoc promontorium Onesicritus classis gubernator nauigare iubebat: sed Nearchus uetuit. non esse missam in ea maria ab Alexandro iccirco classem, quòd non posset totum exercitũ incolumem traducere: sed quod considerari uolebat, oras, stationes, portus, atq; insulas, quæ in his locis extarent: sinusq; & oppida maritima explorari, quæ sit regio fertilis, quæ sterilis: non debere eos mandata regis præterire, appropinquante maximè laborum fine, ac necessariarum copia suppetente. timendum esse, quòd promontorium illud in meridiem tenderet, ne quà in terram desertam & aquarũ indigam, aut sole exustam incideretur. Nearcho omnes assensi sunt: quo consilio mihi uidetur classem seruasse. namq; eã rupẽ, ut loca circumiecta, aquarum*

Maceta.

Persicus sinus.

Mare rubrũ.

aquarum

aquarum penuria laborare, uastasq; solitudines circumiectas, fama est. Inde igitur soluta classe, nõ procul à terra nauigans, cum ad stadia D CC *progressus*
Neoptanum. *esset, Neoptanum peruenit: atq; inde* C *stadia emen-*
ἄναμιρ. *sus, ad † Anenum fluuium (regio Armozia uocaba-*
ἁρμόζεια. *tur, culta iam et omnium fructuũ præterquàm oleæ ferax) peruenit. Hic in terram egressi, cupidè requiescebant à laboribus, quos multos in mari ad ea loca nauigando adierant. Cumq; eorum aliquot aliquanto procul à littore secessissent, uti ea loca quò uenerant explorarent, repertus est ab his homo Græco habitu, lingua Græca: ad cuius conspectum illachrymatos ferunt, quòd tot periculis & laboribus defuncti, hominem in his locis Græcum, uocemq; Græcam tum primum audirent. Qui interrogatus quis'nam esset, unde accederet, se Græcũ hominem ab Alexandri castris, quæ haud procul abessent, aberrasse respondit. Quo audito, confestim incredibili lætitia & clamore ad Nearchum perductus est. Ex eo cognitũ, non plus dierum quinque iter à mari regia castra remota esse. Ab eodem præses ab Alexandro ei regioni præpositus, ad Nearchum adductus: quem ubi Nearchus allocutus est, adeundi regis consiliũ cepit. Post hæc ad classem reuersus, postridie mane naues subduci imperat, uti longa nauigatione quassatæ reficiantur, & naualiũ copiarum partem in tuto relinquat.*

fossam praeterea, & duplicem aggerem à fluminis ripa ad littus perducit, et luteo muro circummunit. Dum à Nearcho hæc aguntur, regionis præses *gratum se facturum* Alexandro *sciens, si ei de classis aduentu suspenso, incolumem aduenisse nunciaret, &* Nearchum *ad se compositis rebus profecturum: con festim quà breuius iter erat, id regi nunciatum misit.* Et *quamuis* Alexander *non satis fidei nuncio habe-ret, summam tamen Lætitiam ex eo cepit. Postquàm alius atq; alius dies transijt, consideranti sibi diem quo nuncius ad se profectus erat, non iam amplius id credibile uidebatur. namq; alij post alios nuncij à se ad* Nearchum *missi, nihil de* Nearcho *renunciatum redierant. Itaq; hominem tanquam mendacem comprehensum, in custodiam tradi imperat: haud dissimulata tristitia, quàm ex falso (ut existimabat) nuncio concepisse uidebatur. Interim qui ad* Nearchum *à* Rege *missi fuerant, cum equis & uehiculis,* Nearcho *&* Archiæ *cæterisq; comitibus aduentantibus obuiam facti sunt. nec tamen primo conspectu illos agnouerunt, adeò immutata facie uidebantur, capillo ac barba promissa, macilenti, squalidi, ac pallore confecti. Interroganti* Nearcho, *& cæteris, ubi nam esset* Alexander: *responderunt, locū demonstrantes, & nihilominus iter suum ad mare persequebantur.* Cumq; *pergerent, conuersus ad* Nearchum Archias,

Nearchus ad Alexandrum

hos homines (inquit) existimare, ad se inquirendos ab Alexandro mitti: ea maximè coniectura, quòd hi eadem uia, quà ipsi uenerant, proficiscebantur. Nec mirandū esse, si ab eis agniti non sint, propter squalorem atq; illuuiem: reuocandos, atq; interrogandos esse quò uadant. Qui reuocati, cum se ad Nearchum proficisci ab Alexandro respondissent: ait Nearchus, habere illos quos quærerent, se Nearchum esse: itaq; sibi itineris duces in castra ad Regem essent. Qui miro quodam gaudio affecti, ijs in uehicula exceptis, ad Regem protinus reuertuntur. Quidam in castra ad Regem præcurrunt: qui cum Nearchum & Archiam cum quinque modo comitibus adesse nunciassent, cæterum de classe se nihil scire dicerent, ne classis his paucis seruatis perijsset, in suspicionem incidit. Quapropter non tantum lætitiæ ex incolumi Nearchi & Archiæ reditu, quantum doloris ex opinato classis interitu cepit. Nec dum hic sermo defierat, cum Nearchus & cæteri apparere cœperunt. Quos cū Alexander uideret ad se ire, tam miserabili oris ac totius corporis habitu: hoc magis uera esse existimauit, quæ de classe amissa sibi ipse persuaserat. Propiores deinde factos, humanissimè complexus, Nearchum seorsum abducit. cumq; obortis præ desiderio suorum lachrymis, aliquandiu silere perrexisset, tandem respirans ait: Postquàm & ipse & Archias

Alexandri de suorū periculo lachrymantis pietas.

Archias sani reuertissent, minus mali esse: sed scire se cupere, quo nam modo classis ac naualis exercitus perijsset. Tum Nearchus, cognita doloris causa: Rex (inquit) & classis, & naualis exercitus, tibi salui sunt. Quo audito, magis propter insperatā rem effusis lachrymis, ubi naues essent percontatus est. Cui cum Nearchus, ad Anatim flumen, ibi reparari, respondisset: per Iouem Græcorum (dixit) & Ammonē Lybicū, se magis seruatæ classis nuncio, quàm totius Asiæ imperio gaudere. eam namq; calamitatem, omnem sibi fœlicitatis suæ fructū ablaturā fuisse. Tū prouinciæ præses, qui falsa nunciasse de Nearcho crediditus, in custodiam traditus fuerat à Rege, dimissus est. Post hæc Alexander Ioui seruatori, tum Herculi, Apollini † malorum depulsori, Neptunnoq; ac cæteris dijs qui mari præsunt: ludosq; gymnicos ac musicos edidit, pompamq; induxit. Imprimis aūt Nearchus omnibus spectabilis incedebat, sertis ac floribus ab omni exercitu in eū coniectis. Perfectis ludis Alexander Nearchū alloquitur: ait enim, statuisse se aliū summittere, qui classē Susas perducat: uelle illius labori ac periculo parcere. Ad quē Nearchus paratum se esse, q eius imperio obsequatur, atq; ita fieri oportere. Cæterum si uoluntati suæ morē gerere uoluerit, hanc sibi prouinciam eripi non passurum: neq; alij gloriā suā, quam iā propè partā haberet traditurū.

Alexander sacrificat. ἀλεξικάκῳ

Adhuc loquentem, tacere, ac bono animo esse Rex *iubet: non ignorare se professus, quantum ei deberet.* Itaq; *eum ad naues remittit, dato modico (tanquam per pacatam & amicam gentem) præsidio. Cæterum & hoc iter ad naues, non absq; labore & discrimine ab eo confectum est.* Barbari *enim quos uel spes prædæ, uel metus conuocauerat, munitiora loca* Carmaniæ *regionis tenebant. nam satrapes eorum* Alexandri *mandato interfectus fuerat:* Tlepolemus *autem, qui in demortui locum successerat, nondum satis obtemperantes imperio suo* Carmanos *habebat: iiq; sæpius eodem die* Græcos *inuaserant, alijs ac mox alijs* Barbaris *sese inferentibus. atq; ita cum labore ac periculo ad classem tandem peruentum.* Ibi Nearchus Ioui *seruatori sacrificio facto, certamen gymnicum exhibuit. Post hæc deducta classe, inde soluit. transmissaq; insula quadam breui, & inculta, nomine* Organa: *in aliã insulã minorẽ, cultamq; (* Oractã *uocant) peruenit,* CCC *stadia ab eo loco unde mouerat emensus.* Vites *in ea plurimæ ac palmæ erant, & uarij fructus. longitudo stadia* DCCC *capit: eiusq; insulæ regulus* Mazones, Susas *usq; cum* Nearcho *nauigauit, seq; ducem eius nauigationis exhibuit.* In *hac insula aiebant sepulchrum eius extare, qui primus imperium insulæ tenuisset:* † Rubro *nomen fuit, à cuius nomine mare illud* Rubrum *appellatũ.*

Organa insula. Oaracta. Mazones. Ruber, qui Græcis Erythrus, unde Rubrũ mare.

Ex

Ex eo loco ad CC stadia Nearchus cum classe progressus, in aliam eiusdem insulæ stationem deuenit. Vnde alia quædam insula prospectabatur, quadragena summum stadia ab hac remota: quæ Neptunno sacra, & inaccessibilis esse ferebatur. Sub auroram inde abijt. Sed cum se æstus uehemens in Oceanū refudisset, tres naues, quæ terræ propinquiores erant, in uado hæsere, cæteris difficulter inde extractis. Itaq; postea altiore mari nauigare, classemq; sistere perrexerunt. Cæterum paulo post ingerente se rursus æstu, tres illæ quæ uadis hæserant, & ipsæ deductæ, ad cæteram sese classem contulerunt: quæ XL stadijs emensis, in alia insula, CCC stadijs à continente remota, substitit. Inde relicta ab læua insula quadam deserta, ad Pyloram insulam delatus est. in ea exiguum oppidum Dodonem appellabant: in quo nullius rei præterquam aquæ & piscium copia erat. nam & hi quoq; oppidani, ob inopiam cæterarum frugum piscibus aluntur. Nanq; soli natura sterilis erat, ac nullius frugis ferax. Exinde CCC stadijs enauigatis, peruentum est ad promontorium longe in mare porrectum. Soluta inde classe, Nearchus littori propinquam insulam incultam Catæam, quam Mercurio ac Veneri dedicatam ferebant, adijt, CCC stadijs confectis. In hanc insulā autem annis singulis à uicinis populis oues & capras, Mercurio ac Veneri

Pylora. Dodone. Catæa.

cōſecratas, tranſmitti: eaſdem poſtea diurnitate tem poris ac ſolitudine efferatas, hominum conſpectum effugere. Ad hunc uſq; locum Carmani tenent: quæ Carmaniæ longitudo. *deinceps ſunt, Perſæ habent. Longitudo Carmanæ oræ, ſtadia* D C C *ſupra tria millia continet. Viuunt Carmani Perſarum more: nam Perſidi finitimi ſunt, iiſdemq; armis in bello utuntur. Soluta inde claſſe* Caicandros. *Nearchus oram Perſidis præteruectus, ad Caicandrum inſulam,* XL *ſtadia nauigauit, ubi inſula breuis oppoſita portum efficit. Inde in inſulam cultam deuentum, in qua margaritas reperiri, quemadmodum in mari Indico, Nearchus ſcribit. Eius inſulæ promontorio emenſo, ad* L *abinde ſtadia ſtatio claſ* Ochus mons *ſi reperta eſt. Inde ad montem excelſum (Ochus nomen erat) acceßit: & in eo portus immobilis, quem* Apoſtani. *piſcatores habitant. Exinde in Apoſtanis uectus eſt,* CCCC *&* L *ſtadijs confectis. Nauiculæ complures ibidem erant. Supra littus uero ad* LX *ſtadia pagus: hinc & in ſinum multis uicis celebrem itum eſt, ſtadijs* CCCC *decurſis: claßis ad latus montis, qua parte ad planiciem declinabat, conſtituta eſt. In eo & palmæ multæ creuerant, et alia quæcunq; pomorum genera naſcuntur. Inde in regionem excultam, ſtadia maximè* D C *profecta claſſe, ad exi-* ἀρέων. *tum exigui fluminis (Oreon nomen erat) acceſſu difficilis in amnē ingreſſus fuit. nā maris æſtus os eius coartauerat.*

coartauerat. Inde mouens Nearchus, cum stadia circiter DCCC nauigasset, ad Sitacum amnem delatus, in ipso flumine classem continuit. Sed neq; huius amnis ingressus facilis fuit. Omnis hæc nauigatio per Persidem, loca plurimum uadosa ac palustria sunt. Hoc loco Nearchus reperit magnum frumenti numerum Alexandri iussu conuectum. ibi dies unus supra XX, ad quietem nauigantiū consumptus: subductis interim ac refectis omnibus, quæ salo quassata fuerāt. Inde deducta solutaq; classe, DCCC & L stadia emensus, ad Hieratim oppidum peruenit, classemq; ad riuum à flumine, cui nomen erat Heratemis, perduxit. Postridie sub lucem discedens, ad amnem quem † Padagrū nominant, peruenit. Circa hunc locum horturli irrigui, atq; omnis generis poma erant: locum Mesambriam appellabant, peninsulæ formam obtinentem. E Mesambria digressus, cum CC stadia confecisset, † in Taornū ad Granidem flumen classem auertit. Supra fluminis ostium ad CC stadia in mediterraneis, sita sunt Persarum regum palatia. Refert Nearchus, se in hac nauigatione balænam uidisse, maris tempestate in litus eiectā: quam qui emensi sunt, L cubitorū esse retulerūt: pellē squamosam, unius cubiti crassitudine: & in ea ostrea, atq; alia huiusmodi, tanq̄ in scopulo innata.

Sitacus
Hieratis.
παδάγρα.
Mesambria.
ἐς ταόκην.
Balænæ magnitudo.

Delphines plerosq; circa eam uisos, longe maiores ijs qui in nostro mari uersantur. Ab hoc flumine ad

Rhogonis flu. CC ferè stadia ulterius progressus, ad Rhogonim amnem cursum tenuit. Inde ad L stadia nauigando ad Brizanam flumen: ubi difficulter classem propter uada & scopulos, marisq; fluctuationem habuit, flumen inuectam: cum recedente æstu in uado hæsisset,

Arosis flu. mox reciprocãte æstu euasit. Indeq; ad Arosim peruenit, fluuium omnium maximum, ut Nearchus ait, quos in tota hac nauigatione Oceanum illabi uiderit.

Susii. Ad hunc usq; amnem Persæ tenent. Viterius Susij incolunt, hi proprijs & suis legibus uiuunt. Qui

Vxii. supra eos in mediterraneis habitant, Vxij uocantur, quos superioribus libris latrones esse diximus. Vni-

Persarũ oræ quot stadia, eiusdemq; diuisio. uersa Persarum ora quatuor millia & CCCC stadia conficit. Persidis regionem tripliciter diuidi fama est. nam quæ pars eius ad mare Rubrum respicit, arenosa est, & sterilis, propter immodicos calores: quæ in septentrionem uergit, temperata & frugifera est. prata in ea multa, irrigua, uites, & cæterarum cultarum arborum genera, præter oleas: itemq; hortuli amœnißimi, omni pomiferarum arborum genere consiti: flumina præterea, lacusq; purißimi: aues quoq;, quæcunq; circa amnes lacusq; uersantur. equorum quoq;, & cæterorum iumentorum pascuis & uenatibus aptißima hæc regio est. Ea uero pars

quæ

quæ ad ſeptentrionē expoſita, niualis ac frigida eſt. Ait Nearchus, *legatos quoſdam ab* Euxino ponto *uenientes, breuiore quadam uia profectos, ſibi obuiam in* Perſide *factos eſſe. Idq; permirum Alexandro uiſum, breuitate itineris cognita. Suſijs* Vxios *finitimos eſſe, quemadmodū* Mardos Perſis, *&* Coſſæos Medis *iam diximus: quas omnes gentes* Alexander *per hyemem domuit, quæ omni tempore ſe adiri non poſſe exiſtimabant. urbibusq; ibidem conditis, ex paſtoribus aratores fecit, ut haberent unde & ipſi timerent, neq; amplius ſibi inuicē latrocinando obeſſent.* Nearchus *poſt hæc, ſolita claſſe Suſiorum oras ſulcare cœpit (cæterum quæ ſequuntur, non ita affirmat, ut affirmanda uidebantur. narrat modò ſtationes ac portus inuentos, tum nauigationis magnitudinem: oram eſſe ex magna parte uadoſam, cum plerisq; promontorijs: eandem eſſe nauigantibus periculoſam, atq; incommodam) aſſumpta in naues ex eo flumine quinque dierum aqua. aiebant enim nauigationis duces, non reperiri aquam ad magnum terrarum ſpacium. Cum ad* D *ſtadia proceßiſſent, ad* Cataderbim *lacum piſcoſum proras auerti iußit: à quo lacu parua quædam inſula, quam* Margaſtanam *uocant, ſita erat. Exinde ſub lucem mouens, per uada ferri cœpit, inter quæ uix ſingulæ naues tranſire poterant. Vada ex palis hinc atq; hinc affixis agnoſcebantur:* Cataderbis. lacus. Margaſtana.

bantur: non secus atq; apud Isthmon inter Leucadē a-q; Acarnaniā signa quædā exposita sunt, ne naues in uada incidant. Sed apud Leucadem uada sabulosa sunt, nauesq; inde facile euelli possunt. uerū hic limus est tenax, ac profundus, quapropter impactas naues extrahere difficile erat. neq; enim in alto ac tenaci limo conti, quibus niterentur, quicquam proderant: & exilire è naui frustra erat, quoniā subsidens limus hominē pectore tenus supprimebat. Per hunc modum stadijs DC difficulter enauigatis, nusquam è nauibus descensum est. Noctu deinde nauigans Nearchus, & sequenti die usq; ad uesperā, stadijs DCCCC confectis, ad Euphratis fluminis ostiū deuectus est, iuxta pagū quendam Babyloniorū, cui nomē Diridotis: quem quidē in locū negociatores thura, & alia huiuscemodi odoramēta, quæ Arabia gignit, deferūt. Ab hostio Euphratis, aut Nearchus, usq; Babylonem tria millia & CCC stadia continent: hoc loco Nearcho nunciatū est, Alexandrū cū exercitu Susas petere. Itaq; aliquantū retro nauigauit, Pasitigrim uersus, uti aduerso flumine nauigans Alexandro coniungeretur. Orā relegēs, à læua Susios habebat: lacumq; in quē Tigris amnis decurrit: qui ex Armenia fluens iuxta Niniū, magnam olim & opulentam urbem, in terrectam regionem suam & Euphratis facit: quæ ob hanc causam Mesopotamia nominatur. Is lacus ab ipso

Diridotis.

Ab Euphratis ostio Babylonem usque quot stadia.

Tigris flu.

Ninus.

Mesopotamia.

ipso flumine DC stadijs abest. Ibi est Susiorum pagus, quem Aginin uocant. Ipsa autem urbs inde distat stadia propè D. Susiorum ora usq; ad Pasitigris ostia ad duorum stadiorum millia porrigitur. Ex Pasitigri Nearchus cum classe aduerso flumine ferebatur, per regionem celebrem fertilemq;. Cumq; ad C & L stadia peruenisset, constitit, donec ad se redirēt, quos regem quæsitum miserat. Interea dijs gratias agens pro reducta classe, certamina cōstituit, naualibus copijs in lætitiam effusis. Postquam nunciatum est Alexandrū appropinquare, et ipse quoq; aduerso flumine classē subigi, uti Regi occurreret, iussit, ibiq; substitit: ubi paratas naues Alexādri reperit, quibus Susas excercitū traducere cōstituerat. Quò ubi Rex profectus est, incredibili gaudio et gratulatione utrique exercitus coniuncti sunt. Deinde Alexander pro saluis nauibus sacrificio facto, uarij generis ludos exhibuit: & magna quidē erga Nearchū omniū charitas apparuit. quoquò per castra ibat, uarijs floribus inspergebatur. Post hæc Alexander Nearchum ac Leonnatum corona aurea donauit, quam de Oritis & alijs Barbaris, Oritarum socijs, adeptus fuerat. Per hunc modum exercitus reductus est, quem cum classe ab hostio Indi fluminis mouisse diximus. Quæ uero ab dextra maris Rubri ultra Babyloniorum terminos sita sunt, ea ut plurimū Arabes tenent, pertinentq; ad mare Phœniciæ, ac Syriæ Palæstinæ.

Agtnis.

Nearchi honores.

Rubri maris dextra.

Cæte-

Cæterum uersus occasum, quo ad mediterraneũ mare, Aegyptij Arabiæ contermini sunt. Ad Aegyptum uero sinus ingrediens ex Oceano, manifestò indicat, ratione concursus, cum Oceano nauigari posse ex Babylone in eum sinum, qui ad Aegyptum pertendit. Sed tamen nemo per ea loca nauigauit, propter caloris intemperantiam, & solitudines interiectas. Nã bi qui de exercitu Cambysæ seruati sunt, ex Aegypto Susas profecti: & item qui à Ptolemæo Lagi ad Seleucum Nicanorem Babylonem missi sunt, per Arabiæ fines promontorio quodam transmisso, octo dies terram desertam & aquarum inopem peragrauerunt. Camelis quoq; insessis, aquas importantes, noctu solum proficiscebantur. neq; enim interdiu solis ardores perferre potuissent. Tantum itaq; abest ut ulteriora huius regionis (quod Isthmũ appellamus) è sinu Arabico in Rubrum mare uergentia, cultoribus frequentata sint. Cæterum quidam Arabico sinu, qui ad Aegyptum spectat, aliquando profecti, ut Arabiam illam plurimum circumueherentur, mareq; quod ad Susas & Persas pertinet inuiserent, cum multum Arabicæ oræ emensi essent, postquàm aqua nauibus imposita deesse cœpit, retro conuersi sunt. Ex Babylone autem quos misit Alexander, ut à Rubri maris dextra nauigantes ea loca explorarent, insulas quidem aliquot humiles se uidisse, & aliquibus

Cambysæ exercitus. Ptolemæus Lagi. Seleucus Nicanor.

bus in locis Arabiæ oras attigisse retulerunt: id uero promontorium ingens, quod Carmaniæ oppositum se uidisse Nearchus scribit, non est qui potuerit ex al terutra parte nauigando superare. Ego uero non du bitauerim, si esset nauigabile, Alexandrum utiq; id per suos experturũ fuisse. Tanta illi cupiditas agnoscendarum rerum occultarum fuit. Et Hanno quidẽ Carthaginiensis, ultra Herculis columnas in Oceanum nauibus prouectus est, Aphricam ab læua relinquens, nauigansq; processit, quamdiu sibi uersus orientem solem cursus fuit, quem cursum quinque et XXX diebus omnino confecit. Postquàm uero ad meridiem conuersus est, in multas difficultates incidit, aquarum inopiam, calores immensos, & ueluti riuos quosdam ignium in mare ruentium. Sed tamẽ Cyrenæ, quanquam in Libyæ solitudinibus ædificatæ, & fertiles tamen & aquosæ sunt, syluas & prata ha bent. omnis generis fructuum atq; animalium domesticorum ferax ea regio est, silphiumq; gignit. ulteriora inculta atq; arenosa sunt. Et hæc quidem de rebus Indicis seorsum à me conscripta, in ipsum Alexandrum Philippi referantur.

Hanno Carthaginiensis. Herculis columnæ.

Cyrenæ.

ARRIANI NICOMEDENSIS DE *rebus gestis Alexandri regis Macedonum,* FINIS.

BASILEAE,

IN OFFICINA ROBERTI

VVINTER, MENSE

Martio. Anno

M. D. XXXIX.